D. GUIDONIS GRANDI ... VINDICIAE PRO SUA EPISTOLA DE PANDECTIS FLORENTIAE...

Guido Grandi, Bernardo Tanucci

Digitized by Google

Digitized by Google

5.5.24

Digitized by Google

D. GUIDONIS GRANDI S.T.D.

CREMONENSIS

ABBATIS S. MICHAELIS IN BURGO PISARUM

Et in ejuſdem Urbis Celebri Academia

PUBLICI MATHESEOS PROFESSORIS

VINDICIAE

PRO SUA EPISTOLA DE PANDECTIS

Florentiae ſecundò edita cum Notis &c.

Adverſus inanes querelas, & oppugnationes

BERNARDI TANUCCII J. U. D. STIENSIS

In eadem Academia Caeſarei Juris Interpretis

In ejus libello non ita pridem Lucae impreſſo expoſitas.

PISIS, 1728. Typis Jo. Dom. Carotti Impreſſ. S. Off.
Superiorum permiſſu.

Biblioteca Medic. Reg. S. Michaelis Florentiae

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIMIS,
ATQUE ERUDITISSIMIS COLLEGIS
HETRUSCAE ANTIQITATUM
ACADEMIAE
Apud Cortonenſes Inſtitutae.

D. GUIDO GRANDUS
Abbas Camaldulenſis S. P. D.

ANceps diu fui, Sodales Doctiſſimi, expediretne, ut calamum ſumerem adverſus Optoſtorem, qui meam ultimam editionem Epiſtolae de Pandectis ad Clariſs. Virum Joſephum Averanium ſcriptae, adeo mordaci

daci ſtylo impetere, ac tam mendacibus calumniis deturpare auſus eſt, meque nil tale cogitantem, nil tale merentem vanis laceſſire querelis, fictiſque criminationibus traducere non eſt veritus. Nam ab ingenio, & inſtituto meo perquam alienum videbatur, condigna reſponſione illius maledicta retundere, nec dignitatis noſtrae erat cum ejuſmodi Aggreſſore congredi, qui falſis ſuſpicionibus, ac contumelioſis dicteriis, aliorum famam dilacerare, voce, ſcriptiſque, clam, palam mordere, ac perſtringere, etiam a nemine lacſus, pudori non duceret. Aliunde verò me negligentiae, imò & crudelitatis argui ſentiebam, ſi nomen meum ab hujus Irriſoris ſcommatibus non vindicarem, & mihi afficta crimina non diluerem, ſed in vulgus ſerpere sinerem, quaſi illa meo ſilentio approbarem: cum non ſufficiat Eccleſiaſticis Viris bonae conſcientiae teſtimonium, qua apud Deum non accuſentur, niſi & apud homines eorum fama diligentiſſimè cuſtodiatur, qua traelucere aliis ad virtutem poſſint, ac ſpiritualem eorum profectum curare, ut ſacrorum Canonum legibus admonemur Can. non ſunt audiendi XI. qu. 3. & Can. Nolo XII. qu. 1. *Quà de re ſusius alibi diſſe-*

rui-

rui, neque hic eadem, veſtro cum taedio, repetere vacat. Haec itaque ſententia apud me, tandem praevaluit, praeſertim animadvertens, Apologiam meam etiam ipſimet Adverſario, dum rectè illa utatur, fortaſſe profuturam, quemadmodum D. Thomas 2. 2. quaeſt. 72. art. 3. *nos docet, dicens*: Oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de caetero talia non attentet, ſecundum illud Proverbiorum 26. RESPONDE STULTO JUXTA STULTITIAM SUAM, NE SIBI SAPIENS VIDEATUR: alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur, propter contumelias nobis illatas. *Vos ergo, Nobiliſſimi Collegae, quorum aures auſus eſt Adverſarius ſuis naeniis obtundere, poſtquam alios ſui libelli Patronos Florentiae fruſtra quaeſierat, Vos ipſos, inquam, hujus Controverſiae Judices admittere non recuſo: nec enim ab ullo ex aequis rerum aeſtimatoribus me condemnandum vereor, ubi apertum fecerim, quam vanis querelis,*

lis, ac putidis mendaciis me primus ipſe provocare, ac temerariis conviciis laedere, non erubuerit. Valete, ac rem litterariam ſolidis eruditionibus, non inanibus jurgiis, ut Adverſarius noſter hactenus praeſtitit, promovere pergite.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

VINDICIARUM PARS PRIMA

CAPUT I.

Primae Tanucciianae querelae Vanitas demonſtratur. pag. 1.

CAPUT II.

Difficultas obiecta noſtram aſſertionem nullatenus perimit. pag. 5.

CAPUT III.

Epiſtolae CXL. a Petro Bleſenſi ſcriptae tempus expenditur. pag. 7.

CAPUT IV.

Gratiani Canones aſſertioni noſtrae ab Adverſario oppoſiti expenduntur. pag. 12.

VINDICIARUM PARS SECUNDA

CAPUT I.

De Pandectarum inventione apud Amalphim ab Adverſario parum honorifice pro Piſanis expoſita. pag. 21.

CAPUT II.

De eadem inventione Pandectarum, ut parum firmiter ab Adverſario propugnetur. pag. 26.

CAPUT III.

Alterius inanis Querimoniae, imo Calumniae Adverſarii depulſio. pag. 43.

VIN-

Digitized by Google

VINDICIARUM PARS TERTIA

CAPUT I.
De Contradictionibus, & Novitatis Studio mihi affi&ctio. pag. 54.
CAPUT II.
In Dempſterum, & Robertum Montenſem, & Accurſium conjecta convicia repelluntur. pag. 59.
CAPUT III.
De Ivonis Carnotenſis Decreto mihi objecto. pag. 64.
PERORATIO. pag. 71.
ADDENDA. pag. 73.

APPROBATIONES.

Videat Reverendiſſimus D. Joſeph Maria Ruſchi Canonic. Eccleſ. Primat. J. U. D. & in Univerſitate Piſana Sacror. Canon. Profeſſ. *Fr. AA. Dati Inquiſit. Piſarum.*

Celeberrimi, & ubique fama Sapientiae notiſſimi Auctoris opuſculum, cui titulus, *D. GUIDONIS GRANDI Erudicige, pro ſua Epiſtola de Pandectis, Florentiae ſecundo edita &c.* accurate, diligenterque perlegi, & in eo nihil offendi, quod honeſtis moribus, aut Religioni adverſetur, ideoque digniſſimum illud cenſeo, quod in publicam lucem edatur.

Joſeph Maria Ruſchi Canonicus Eccleſiae Primat. & in Piſana Univerſitate Sacr. Canon. Profeſſ.

Die 20. Octobris 1728.

Stante retroſcripta informatione &c. Imprimatur.
Fr. Jo. Bapt. Roſſi Vicar. Gener. S. Offic. Piſar.

Attenta ſuprad. informatione &c. Imprimatur.
Anton. Frau. Palmerini Vic. Gener.

Imprimatur.
Quintilius Galeotti.

VIN-

Digitized by Google

0.5. 4

VINDICIARUM

PARS PRIMA

CAPUT I.

Primae Tanuccianae Querelae Vanitas demonſtratur.

REfert Adverſarius noſter *pag.* 5. & 6. me illi *Calumniae* dicam impegiſſe, cum ſcripſerim *Nota* 6. *pag.* 46. haec verba: *Locum hunc nonnulli calumniati ſunt, quaſi primam Pandectarum notitiam Petro Bleſenſi tribuerim*. At ego ſyncere fateor, me nec ad illum reſpexiſſe, cùm haec ſcriberem, nec *Calumniatoris* notam ijs ipſis, qui obiectione illa meum opus ludibrio exponere contenderant, impingere voluiſſe. Nec enim *Calumnia* falſam, & iniquam criminationem ſemper ſignificat, nec *Calumniandi* vocabulum aliud hoc loco importat, quam quod italicè dicimus *Criticare*, ſeu Criticen exercere, criticumve judicium interponere; id quod in bonam partem accipi quandoque poteſt, cum ſcilicet, abſque Auctoris contemptu, ejus errores no-

Digitized by Google

tantur, ut Eruditiſſimus Pagius in ſua Baronij Critica praeſtitit: quandoque etiam in malam, ubi non modò praetenſi lapſus deteguntur, ſed cum Auctoris ignominia deriſui habentur; id quod a *Calumnia* propriè, & ſtrictiſſimè dicta plurimùm adhuc abeſſe fateor, ſed tamen *Calumniandi* verbo congrue poſſe ſignificari contendo. Videat Adverſarius Celeberrimi Jacobi Facciolati Lexicum latinum in verbo *Calumnior*, ubi verba Gellii *libro 7. cap. 3.* exponens, nimirum: *aliis tamen verbis eum calumniatur*, italicè explicat: *LO CRITICA.* Ubi & aliam *Calumniandi* acceptionem ex Quintiliano *lib. 10. cap. 3.* adducit, pro eo quod eſt, *nimis anxiè inquirere*. Sed & Paulus J. C. *l. penult. ff. ad exhibendum* pronuncians, *non oportere jus civile calumniari, neque verba captari*, de non impingendis falſis criminibus Juri Civili ſanè non loquitur, ſed de captioſis dumtaxat interpretationibus, & cavillationibus evitandis; quo fermè ſenſu Cicero *lib. 1. de officiis*, narraturus callidum artificium, quo Neapolitani, ac Nolani in eorum finibus determinandis a Q. Fabio Labeone decepti ſunt, praemittit, quod *exiſtunt ſaepe iniuriae CALUMNIA quadam, & nimis callida, ſed malitioſa juris interpretatione*; quin & in Fragmentis *lib. 2. de Republica* declamatoris Carneadis ingenioſum astum commemorat, *qui ſaepe optimas cauſas ingenij CALUMNIA ludificare ſolebat*, non utique falſum ſcelus Actori irrogando, ſed ſiniſtra jurium interpretatione Judicum animos in eam, cujus patrocinium ſuſceperat, Cauſae partem vafre inclinando. Praeſtantiſſimus quoque Orator Benedictus Averanius, qui noſtram Academiam Piſanam ſua eloquentia nuper exornavit *Diſſert. 61. in Anthologiam num. 8.* ita loquitur. *Marsyae Statua Romae in ſo-*

in foro viſebatur, quae funem manu tenebat, ad deterrendos, ut opinor, a CALUMNIA temerè litigantes, quaſi ipſos Marſyae fatum maneret, qui Apollini (non crimen aliquod falſum obiecit, ſed) *de praeſtantia artis Muſicae tam temerè litem intendit.* Ejuſmodi igitur latina phrasis non debuit Adverſario bilem movere, ſi vel maximè de ipſo expreſsè loquutus eſſem; cum ergo ne de ipſo quidem tum cogitarem, ſed de ſubmovenda dumtaxat obiectione illa, quam a quibuſdam oppoſitam fuiſſe intellexeram, quo jure Is de me queritur, quaſi atrociſſima injuria ipſum provocaſſem illis verbis, *nonnulli calumniati ſunt?* At, inquit *pag. 5.* me ſatis re ipſa *perſonam deſignaſſe, quam impeterem, cum ab iis calumniam mihi factam affirmarim, qui ea dixerint, quae ab ipſo dicta eſſe norunt multi, quorum aliquos habet inimicos.* Et infra ſe clarius exprimens *pag. 6.* ait, ſe ipſummet eſſe, qui Epiſtolam meam *cum Averanio volutans, negavit antiquiorem Pandectarum mentionem deberi Petro Bleſenſi, quòd Gratianus Digeſtorum libros, & identidem commemoraverit, & illorum verba, atque ſententias multas exſcripſerit.* Quid ille cum Cl. Averanio contulerit, quibusque verbis ſcrupulum ſuum adverſus meam ſententiam expreſſerit, nec ipſe ab u lo quaeſivi, nec ullius relatione diſcere potui. Nec novi quos ille *Inimicos ſuos* deſignet, niſi quos ex amicis, & benefactoribus olim ſuis, parumper animo ſibi averſos reddiderit, ob frequentes aliorum vituperationes, & ſui unius oſtentationem. Unum hoc ab aliis amicis intellexi, ab nonnullis aſſertum illud meum cum riſu, ac contemptu, fuiſſe exceptum, ob Gratiani Canones aliquot ad Pandectarum loca alludentes. An Obtrectator noſter cum illis ſe jungeret, eorum-

ve primipilus esset, aut omnino non novi, aut planè dissimulavi, cum scirem ipsum Epistolae nostrae olim faviſſe, nec nisi amici monitoris loco haberem, siquando hac de re mecum ille conferret; quod & doctiſſimus amicus noſter D. Virginius Vallecchi non semel praestitit, de Gratiani locis controversis mecum officiosissimè disserens. Hinc cum primus Florentiae rumor percrebuit, D. Bernardum Tanuccium in me calamum acuere, de hac prima querela ab ipso excitanda ne suspicabar quidem, sed aliud quiduis illi in meo libro displicuisse hariolabar, donec apertè intellexi, se *Calumniatoris* nota à me affectum conqueri in illius obiectionis expositione, ac solutione. At enim qui fieri poterat, ut adeo obviam difficultatem, atque a multis exaggeratam, in ejusdem Epistolae iterata impressione non adducerem, non solvere, ac pro viribus dissipare tentarem? Id verò non, ut Adversarius noſter *pag.* 7. scribit, *sul iratus* praestiti, sed maximè quietus, nullaque ex parte commotus, summa pace, ac lenitate, quæ mihi videbantur opportuna nodo solvendo reposui, ut honesti, ac moderati animi virum decet; adeo ut etiamsi obiectionis Auctores suo nomine significassem, non ideo se in ejus solutione a me contemptos, ullave injuria affectos conqueri possent; longè minus autem cum ab ijs nominandis penitus abstinuerim; id quod nemo planè inficiari poterit, qui verba mea, vel in Adversarij libello relata, expendere diligentiſſimè voluerit. Vana itaque est prorsus querela, qua me de convicio in se illato expostulare nititur Adversarius, qui sibi uni imputare potest, si parum aequum in me animum suum detegere maluit, quam in vago, & confuso illo *Nonnullorum* nomine obvelatus latere.

CA-

CAPUT II.

Difficultas obiecta noſtram aſſertionem nullatenus perimit.

SEd obiectionis ipſius vim, in qua exaggeranda totus eſt Adverſarius, expendamus. Dixeram, Pandectas *ſub hoc ipſo nomine* apud Petrum Bleſenſem, qui anno 1160. florebat [*ea aetate*, hoc eſt poſt Amalphitanam direptionem, ut ex à me dictis *pag.* 11. *&* 47. colligitur] *antiquius fortaſſe*, quàm ab aliis factum fuerit, *commemoratas*, nimirum *Epiſt.* 140. ubi inquit: *Vides ... quam immeabile pelagus ſit Pandecta, in qua civile jus continetur:* concedens tamen, aliquas leges ipſarum ab aliis antea commemorari, nam expreſsè ſubdidi: *licet aliquas illarum leges Ivo Carnotenſis, qui praecedenti ſaeculo XI. vixerat, allegaverit*; idem procul dubio de Gratiano dicturus, ſi tum ejus Decreti memoria mentem ſubiiſſet. Haec cum ita ſint a me aſſerta, & expoſita, quid attinet Gratiani Decretum obtrudere, particulares aliquot leges Pandectarum ex Ulpiano, ex Paulo, ex Marciano exhibens, quas, ut notavi, ex aliqua Digeſtorum lacinia, aut ex ipſis Jurisprudentum aliquot fragmentis poterat Auctor ſeligere? Petrus Bleſenſis, dum memorat *Pandectam in qua civile jus continetur*, dubitare non ſinit, univerſum illud Digeſtorum opus tunc fuiſſe cognitum, atque manibus eruditorum paſſim obtritum: qui veró hanc vel illam legem commemorat, non ideó certiores nos reddit de integra collectione apud ſe, vel uſpiam extante; quemadmodum qui hanc, vel illam Pontificum bullam recitat, non ideò totius Bullarii Romani mentionem indubiam facit, nec qui hunc vel illum

illum Sanctum invocat, ideò Litanias commemorat. Quotquot igitur fuerint Leges á Gratiano ex Pandectis in suam Canonum collectionem adlectae, [quas non admodum multas esse interius evincam] dum non constat, illas ab ipso ex Pandectis laudari, sed verosimile est, aut saltem possibile, opera Glossatorum has citationes factas esse, & ad libros Pandectarum, & Legum numerum relatas; nihil obstat, quo minus antiquior Pandectarum expressa commemoratio Petro Blesensi tribuatur, praesertim adjecta dubitantis particulae cautione, quae absolutam verificationem non postulat in specie facti contingentis, quemadmodum ex vulgatis juribus, ad dictiones *Forsan*, *Forsitan*, *Fortassis num.* 1. & ad dictionem *Forte num.* 2. ostendit Barbosa *in tract. variis pag.* 690. Quo posito, quis non videt, assertionem nostram ab omni absurdo, & repugnantia absolutam subsistere nisi nodum in scyrpo quis quaerere velit, ac lites de nihilo, seu de lana caprina, ut ajunt, excitare? Praesertim cum dubium perimere nequeat mera probabilitas, & quantumvis magna verisimilitudo oppositi, sed sola evidentia, quae hic nulla est, etiamsi ut antea diximus, ultro largiremur, omnes ab Adversario citatos Gratiani Canones esse legitimos, & non ab alijs intrusos? Verùm hac de re postmodum *cap.* 4. agendum erit.

CA-

CAPUT III.

Epistolae CXL. a Petro Blesensi scriptae tempus expenditur.

CUm asserverim Petrum Blesensem anno 1160. floruisse (id quod asseverant Abbas Trithemius, Antonius Possevinus, Gulielmus Cave, alijque de Scriptoribus Ecclesiasticis agentes) fingit Adversarius *pag.* 9. eam aetatem Petri Epistolae 140. me pariter tribuisse, ut ansam criminandi meam socordiam arriperet, suamque eruditionem, congestis aliquot, ab Joanne Busaeo exscriptis, notitijs, proferendi; sed cum dicitur Scriptor aliquis certo anno floruisse, non ejus vitae supremus annus designatur, sed medius plerumque, ad florem ejus aetatis pertinens, nec omnia illius opera eodem anno scripta supponuntur. Itaque superfluunt quaecunque ad usque paginam sextamdecimam ab Oppositore congeruntur, ut ostendat seriùs devixisse Petrum, & ad Pontificatus Innocentii III. initia perveniisse. Quamquam nimis liberalem Adversario me praebeo, si ab ipso evictum ejus Epistolae tempus largiar, ex sola ipsius inscriptione, atque appositio *Archidiaconi Bathonienſis* titulo, quem ab Editoribus, & dudum ab Amanuensibus adjungi potuisse constat. Nonne ipsemet *pag.* 12. fatetur, Epistolam 22. *Petri Archidiaconi Bathonienſis* nomen praeferre. quae tamen ante adeptam Archidiaconi dignitatem scripta videtur, cum S. Thomam Cantuariensem vivere, & exulare per id tempus supponat? Quod ergo semel Exscriptoribus accidit, ut titulum illum de suo adderent, cur non & aliàs contingere potuerit? At reponet, *ex antiquorum Codicum*

dicum auctoritate deprehensum esse hunc errorem *à Joanne Busaeo in Notis recentioribus ad illam epistolam*. Imo nullas in hanc Epistolam 22. Notas scripsit Busaeus, sed Petrus de Cusanvilla Carnotensis Presbiter illarum, quas Adversarius citat, *recentiorum Notarum* est Auctor. Quisquis autem lapsum hunc librariorum deprehenderit, perinde est. Non id semel dumtaxat contigit, ut ex erronei tituli raritate, exactior inscriptio reliquarum Epistolarum sit praesumenda. Complures aliae tum Epistolae, tum Sermones, simili titulo *Petri Archidiaconi Bathonensis* inscribuntur, licet illas, & hos, longé antea dictaverit, dum simplex Clericus, aut fortè saecularis, & laicus esset.

Unicam in exemplum affero Epistolam 26. quae nostro proposito magis congruit, atque ostendit, Petrum Blesensem, dum Bononia redux, ubi juris civilis scientiae operam dederat, Parisijs adhuc Scholasticum ageret, Theologiae studio intentus, *Digestorum* opus commentatus: cui tamen Epistolae *Petri Archidiaconi Bathonensis* titulus adhaeret, licet ante ejus profectionem in Siciliam, nedum antequam in Angliam se conferret, ac Bathonensi Archidiaconatu insigniri posset, scripta fuerit. Ibi autem socium quemdam suum sic Petrus alloquitur. *Vester, vobisque devotissimus operam Theologiae Parisijs indulgeo, Bononiensis castra militiae crebro suspirans, quae vehementer amata citius, & praematurè deseruit. Legimus tamen de Usufructu legato, quod fructuario liceat maturitatem fructuum praevenire &c. adhuc tamen, quia nondum dilatavi gressus meos in lege Domini, lectioni CODICIS, & DIGESTORUM plerumque ad solatium, non ad usum, tempus vacationis impendo.*

En

En expreſsam, nodum *Codicis*, ſed & *Digeſtorum* mentionem a Petro Bleſenſi factam, dum junior eſset, puta vigennis circiter, adeoque circa annum 1148. quo tempore nondum completum fuiſse Gratiani decretum, ſed tantum anno 1151. publicatum plerique authumant; Enim verò anno 1198. ſe valde ſenem ac termino Vitae propinquum eſse conqueritur Petrus Bleſenſis *Epiſt.* 149; itaque ſi ſeptuageſimum annum dumtaxat habuiſse tunc ſupponatur [potuit autem etiam ſeptuagenario major eſſe], vicegimus ejus aetatis annus in prædictum annum 1148. incidiſset. At merae conjecturae fidere nolim: eouſque tamen nec Petri jam ſenis aetatem imminuere, nec uſque adeò augere junioris ad Theologicam palaeſtram, poſt breviter delibata Juriſprudentiae principia, accedentis poſtumus, quin ſaltem ante annum 1159. illam Epiſtolam ſcriptam aſſerere cogamur: illo etenim anno ſe ad Romanam Curiam miſſum innuit *Epiſt.* 48. ſeque ab Octaviani PſeudoPontificis, contra Alexandrum III. dicto anno electi, ſatellitibus captum, & perculſum narrat, ubi etiam indicat, quanto faſtu ſe ille adorandum praeberet: *Fui praeſens*, inquit, *ubi ſe faciebat tamquam ſtatuam adorari, nam & ego cum aliis in via ad Romanam Curiam a carnificibus ejus captus, & ſpoliatus, & caeſus ſum.* Quid ergo peccaſſem, ſi etiam Epiſtolam 140. eodem Archidiaconi Bathonienſis titulo decoratam, quo illa Epiſtola 26. inſcribitur, ad annum ipſum 1160. aut circiter pertinere tradidiſsem?

Longè gravius ipſe, ac turpius labitur, dum *pag.* 15. conjicit, eandem Epiſtolam 140. qua de agitur, poſt Lateranenſe Concilium ſcriptam eſse, quia vocabulo *Tranſubſtantiationis* in re Euchariſtica uratur,

quod Heterodoxi à Patribus Concilii Lateranènsis, anno 1215. sub Innocentio III. celebrati, tantummodò inventum putant. Potius enim hinc arguendi erant haeretici, statuendo, nedum conversionis ipsius rem illo vocabulo significatam semper in Ecclesia creditam, sed & vocem ipsam *Transubstantiationis* ante Concilium illud à Patribus usurpatam, uti ex hoc Petri Blesensis testimonio Dupinius in sua Bibliotheca observat, & ipse Caveus haereticus in Historia Litteraria fatetur (idemque potest ex sermone 38. ostendi, ubi habet, quod *Sacerdotes Corpus Domini conficiunt, sumunt, sumendum aliis tribuunt: eorum ministerio panis, & vinum in carnem Christi transubstantiatur*) cum aliunde constet, Petrum Blesensem aut anno 1199. aut 1200. ad summum, vivere desijse, ut Pagius, & Dupinius tradunt, & Epistola illa CXL. Archidiaconi Bathonienſis titulum praeferat, quem Innocentio III. Pontificatum ineunte anno 1198. jam cum Archidiaconatu Londinensi commutarat, ut ipse Adversarius, praecipitem illam coniecturam suam ejurans, demum animadvertit.

Scriptam verò fuisse laudatam Epistolam non ante annum 1171. ut Adversario, post tot conatus frustra susceptos, largiremur, quid inde ad Causam suam exculpet? Gratianus ipse (cujus emortualem annū plerique tacent) potuit sané ultra annum illum 1171. vivere, atque opus suum novis subinde additionibus locupletare, inter quas etiam Digestorum auctoritatem variis locis operis sui illustrandis, aut confirmandis idoneam adscisceré subinde potuit, habita exemplaris alicujus Pandectarum commoditate, qua sub initium caruisse videtur, cum de Legum varietate, & Jurium distinctione scriberet, ut infra obser-

ſervabimus. Imò non deſunt qui Gratianum Petro Bleſenſi ſuperſtitem vixiſſe ſcribunt, ſaltem uſque ad annum 1204. uti neceſſe eſt ſtatuere, ſi Gratianus noſter idem ſit cum Magiſtro Gratiano Cardinali Diacono SS. Coſmae, & Damiani, ut ex Alberico Monacho trium Fontium tradit Eruditiſſimus Praeſul Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyrenſis *in praef. ad novam ordinationem Decretorum Gratiani a Card. Joanne de Turrecremata adornatam p. 4. & 5.* Adde ex Antonio Auguſtino Epiſcopo Tarraconenſi *de emend. Gratiani lib 2. cap. 9.* haberi haec verba in libro Pontificali MS. circa tempora Innocentii III. *Hoc anno, ſcilicet MCCXV. Gratianus Monachus de Cluſa Civitate Thuſciae natus Decretum compoſuit*: quomodo paret, non deeſſe fundamenta (licet mihi minimè probentur) aſſerendi, totis XV. poſt Petri Bleſenſis obitum, annis Opus hoc Gratiani publicatum fuiſſe: nedum poſt annum 1171 variis ab ipſo Auctore additamentis potuiſſe augeri, dum opus ſuum relegeret: quod de Paleis affirmant in ſua Praefatione Correctores Gregoriani. Quod ſi ergo ab exemplaribus ſupremam Auctoris manum expertis deſcripti fuerint Codices, Gratiani *Decretum*, ſeu *Decretorum collectionem*, aut *concordiam diſcordantium Canonum* [totidem quippe diverſis titulis Opus illud inſcriptum variis in locis reperitur] continentes, atque ex his deductae illius impreſſiones, patebit, quomodo antiquior Pandectarum mentio illo ſaeculo XII. facta fuerit à Bleſenſi, etiamſi Gratianus ſub ipſo Pandectarum nomine Leges Digeſtorum citaſſet; quod tamen Gratianum feciſſe, nondum Cenſor noſter evicit, ſed noſtrae dubitationi alia aequè dubia oppoſuit.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Gratiani Canones assertioni nostrae ab Adversario oppositi expenduntur.

HActenus dicta defendendae sententiae nostrae abundè sufficerent, sed nos (ut ipse putat) dormitabundos inconditae suae vocis clamoribus excitat Adversarius *pag.* 16. inquiens. *Dormitavit secundò Reverendiss. Grandius, cum fidenter jactavit, non alias à Gratiano Leges nominari ex Digestis, quam quae ad materiam appellationum, & accusationum pertinent: ex quo suspicatur, aliquam dumtaxat laciniam, non verò universum Digestorum opus ei innotuisse;* Tum ne solus ipse ab eo deturpatus abirem, socium, imò erroris praetensi magistrum addit doctissimum, & eruditissimum Virum D. Virginium Valsecchi, quod de Gratiano dixisset, ipsum *duas Pandectarum leges* protulisse: quippe non duas, sed longè plures ab eodem Auctore citatas Adversarius contendit, longo indiculo exposito, quo unum supra quinquaginta textus Gratiani ex Pandectis descriptos adducit, quibus si quinque alios Canones, a me ipso liberaliter citatos, addere placeat, quinquaginta sex omnino ex Digestis capita deducta apud Gratianum poterunt recenseri; ex quibus infert, quod ille non aliquam dumtaxat Digestorum particulam, *sed universum Opus novit, habuit, diuque versavit.*

Sed enim habuerit ne ipse, ac versaverit Pandectas, hic non inquirimus. Potuit sanè illas nosse, nam Bononiae, ubi Decreta illa Gratianus compilavit, utique Pandectarū aliquod saltē exemplar, undecunque delatum, aut descriptum, sua aetate extabat; potuit etiam habe-

Digitized by Google

habere, ac saepius versare; an verò ipse apud se habuerit, versaveritque in ambiguo est. Sanè quisquis expenderit, sub ipsū Operis Gratiani initiū Distinctiones primam, & secundam, ubi de Juris acceptione, ac Legum divisione agitur, satis mirari non poterit, cur ab hoc Auctore speciatim Jus Naturale, Jus Civile, Jus gentium, Jus militare, Jus Quiritium, seu Romanorum distinguantur, ac singillatim variis capitibus adnotarit, quid Lex, quid Plebiscitum, quid Senatus consultum, quid Constitutio, vel Edictum sit, quidue Responsa prudentum, in quibus Pauli J. C. responsa laudat; tum quid Tribunitiae, & Consulares Leges sint, Legibus Papia Poppaea, Falcidia, Satyra, & Rhodijs enumeratis, non tamen universam simul Digestorum collectionem commemorare voluerit Auctor, ad quam si digitum intentasset, longè facilius, uberius, ac brevius intento suo facere satis potuisset.

Quid quod *distinct.* 7. Conditores Legū recesset, Mosen, Phoronaeum, Mercuriū Trismegistum, Solonem, Lycurgum, Numā Pompilium, & nominibus eorum, qui XII. tabularum leges scripsisse feruntur, recitatis, subdit, novas a Constantino Caesare Leges promulgatas, quibus aliae successerint à Theodosio, ubi Theodosiani Codicis mentionē ingerit, qui Gregorianum, & Hermogenianum exceperit, alto de Justinianeis Legibus silentio servato? Id certè invictum reputat argumentum ipsemet Adversarius *pag.* 23. cur Isidorus (a quo Gratianus haec totidem verbis rescripsit) nullam Justinianei juris notitiam habuerit. Cur ergo non idem de Gratiano dicamus? Longè cohaerentius loquitur Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus *de emend. Gratiani lib.* 1. *dial.* 19. optimè observans, quod ea, *quae de Theodo-*

odoſiano Codice ſcribuntur, Iſidori, & Gratiani ignorantiam detegunt: cum potuiſſent ex libris Juſtiniani certiora de origine juris, & de tribus illis veteribus Conſtitutionum Libris, & quarto Juſtinianaco, atque de Novellis tam ejuſdem Imperatoris, quam ſuperiorum, referre. Hinc ne Codex quidem Juſtinianeus videri poteſt notus Gratiano, nedum Digeſta.

Sed habuerit ille utrumque volumen, ac verſarit: de hoc non diſputo. Quaeſtio eſt, an integri Pandectarum Operis apertam mentionem fecerit? Id ego, ut mitiſſimè loquar, admodum eſſe dubium affirmo, nec loca ab Adverſario allegata oppoſitum evincunt, quibus eandem reſponſionem applicari poſſe video, quam illis quinque Canonibus á me citatis olim adhibui: Leges ſunt hinc inde ex aliquot fragmentis veterum Juriſconſultorum, aut librorum aliquot ex Pandectis, quarum citationes a poſterioribus Decreti Gloſſatoribus ſuppletae ſunt, ad Digeſtorum libros, in quibus jam leguntur, illas referendo. Nonnullae quoque additae ex integro ſunt, ad utriuſque Juris Canonici, & Civilis convenientiam demonſtrandam: nec in omnibus antiquis Gatiani exemplaribus eaedem habentur, ideoque ab ijs, qui Gratiani Decretum Gregorii XIII. Pont. Max. juſſu emendarunt, diverſo charactere plerumque impreſſae ſunt, velut ad ſyncerum Auctoris textum non pertinentes. Imò & ex iis, quae eodem charactere cum genuinis Gratiani capitibus hodie exprimuntur, nonnullae adhuc ſuperſunt, quae aliena manu, praeter Gratiani intentionem, vel etiam propoſitum, ſunt intruſae, ut mox demonſtrabo, ſingillatim ad oppoſitos Canones ſic reſpondendo.

Ad 1. Ille Canon 11. *diſt.* 1 non ex Digeſtis, ſed ex Iſidoro *lib.* 1. *Aetymolog. cap.* 8. deſumptus eſt,

id

id expresè monentibus Gratiani Correctoribus. An verò ipse Isidorus ex Vlpiano, vel ex opere Digestorum verba illa, ad Juris publici definitionem spectantia, exscripserit, hic non inquiro. Certè ex eodem Isidoro pleraque alia, tum ejus, tum aliarum Distinctionum Capitula in collectionem suam Gratianus derivavit, atque expresè citavit. Itaque cum Adversarius noster *pag.* 23. contendat, nullam Isidoro illuxisse Justinianaei juris notitiam, etiamsi verba illa, quae Vlpianus *l. 1. ff. de Just. & Jur.* habet, ante Gratianum usurpaverit, cur Gratiano eadem inde exscribenti cognitas ideò Pandectas fuisse inferamus?

Ad 2. Canon *Qui Saccum* 45. *Dist.* 50. evidentissimè additicius est; nam qui illum praecedit Canon 44. est *De his qui voluntate, vel casu homicidium faciunt*, ergo cùm subsequens Canon, qui nobis obiicitur, titulum praefixum habeat *De eodem*, utique de ipsamet *homicidij* materia tractare debuerat. Quorsum ergo agit *de furto Sacci pecunijs pleni?* An roponet Adversarius, reformandum esse hujus Canonis titulum, & loco inscriptionis *De eodem*, scribendum fuisse *De furto?* Verum & Canon succedens 46. rursus *De eodem* inscribitur, cum de furto non agat, sed iterum de homicidio tractet, priorem materiam prosequendo. Ergo arbitrariè, ac praeter Gratiani mentem, & propositum hoc loco intrusus est ille Canon intermedius 45. sive ab imperito exscriptore, ex aliquo Glossemate in margine ad aliud propositum notato, in textum imprudenter admissus.

Ad 3. 4. 5. 6. & 7. Canones illi 127. 128. 129. 130. cum distincto hujus paragrapho, nobis obiecti ex *Causa* 1. *qu.* 1. (non 2. ut perperam in libello

Ad-

Adversarij impressum est) neque addititij sunt, quemadmodum & qui hos praecedit Canon 126. ex Codice Justinianeo deductus: nam vetustissima Gratiani exemplaria MS. in Canone 128. Quaestioni illi terminum ponunt, & meritò; nam Quaestio erat: *An sit peccatum emere spiritualia?* Subsequentes verò Canones ex civili jure deprompti, quos absque distinctione capitum continua serie adnexos in plerisque Codicibus dicto ultimo Capiti 125. fatentur Gregoriani Correctores, ad *Simoniam* non pertinent, sed de pecunia oblata, vel accepta ob profana officia, ob testimonium ferendum &c. agunt; ideoque hic allati censeri debent, ad ostendendam quamdam civilium legum cum Canonicis Decretis analogiam.

Ad 8. & 9. Canones *Crimen* 1. *qu.* 4. & *Prohibentur accusare* 2. *qu.* 1. Siquidem a Gratiano ipso allati sint, quod negare nolim, cum ad criminales materias de Accusationibus, quas, uti & judiciales de Appellationibus, ex aliqua Digestorum lacinia, aut veterum Jurisprudentum fragmentis, innotescere potuisse Gratiano *pag.* 47. mei Operis jam ultrò concessi; non tamen contra me probant, integrum Pandectarum volumen fuisse ab ipso commemoratum; unde incassum Adversarius laborat, illis quinque à me jam citatis ex Gratiano Canonibus, hos duos addendo, quorum verba in Digestis occurrunt, incertum est autem, an sub *Digestorum* nomine ab eodem citati fuerint, an ex libris alijs, Jurisconsultorum sententias aliquot complectentibus, illa in opus suum Gratianus contulerit.

Ad 10. 11. 12. 13. & 14. ubi opponitur Canon *Si quem poenituerit* versu *Accusatorum* 2. *qu.* 4. cum aliis paragraphis eodem capite) inclusis, licet ab Adver-

versario singillatim distinctis, ut longior oppositorum Canonum series evaderet. Respondeo patere ex correctione Gregoriana, omnes esse adscititios, quippe diverso charactere ab emendatoribus imprimi jussos, addita etiam notatione: *Haec verba, licet in collatis Gratiam manuscriptis exemplaribus non habeantur, tamen quia sunt etiam in Pandectis, non sunt expuncta*. Quae animadversio pleriisque aliis capitulis subscribi potuit, ac repetita subintelligi debet: non enim id sibi negocii datum crediderunt doctissimi illi Viri, nequid in Gratiano omnino relinqueretur, quod genuinum ipsius Auctoris non esset; sed ne quid erroneum in titulis, nequid falsum in sententijs, eorum judicio, remaneret, atque ut textus cum Auctoribus, ex quibus desumpti dicuntur, accuratè convenirent.

Ad 15. 16. 17. 18. 19. 20. ubi Canon *Infames* (non ut Adversarius impressum dedit, *Infantes*) 3. *qu.* 7. & Canon ab ipso designatus *Item pro ijs* [quem frustra quis in Canonum Indice quaereret, est enim paragraphus praecedentis] & reliqui paragraphi, ad longiorem indicem texendum, singillatim recensiti obiiciuntur, qui continent variarum Legum collectionem, Manifestum est, dubitari posse, an Gratiano nostro debeantur; Nam in vetustis Codicibus omnia haec cum Capite primo conjuncta sunt, ex Epistola secunda, Felici I. Papae attributa, desumpto, nec distinctum Canonem efformant; Cum autem quaestio ibi proposita esset tantum: *Quod Judex esse non possit, quem cum Reo par, aut major macula inficiat*, ejus utique proposito maximè conducebat Canon ille, ubi de Procuratore simul, ac de Judice decernebatur á Felice Papa eodem contextu, quod: *Infamis persona nec procura-*

 tor

tor esse potest, nec COGNITOR; hae autem Leges de solis Procuratoribus, aut Postulatoribus, vel Advocatis infamia laborantibus, agentes praesentis Quaestionis instituto nullatenus congruebant; quae ideo frustra ibidem coacervatae dicendae sunt, & aliena manu adiectae.

Ad 21. Canon ibi oppositus *Post scripta* non invenitur, sed *Per scripta* 2. *qu.* 8. ex Stephano Papa deductus; ejus autem paragraphus *Quae vero* diverso charactere in Gregoriana Correctione signatur, ideoque ad legitimum Gratiani textum non pertinet.

Ad 22. & sequentes ibidem indicatos numeros, respondeo, quod Canon ille *Si testes* 4. *qu.* 3. intrusus pariter a Glossatoribus videtur, quemadmodum in antecedenti Canone *Placuit* olim insertus erat paragraphus *Produci* ex Digestorum titulo *de Testibus* desumptus, quem post Gregorianam Correctionem diverso nunc charactere impressum videmus. Nam si Canoni oppositio *Si testes* praefigitur titulus, sive Inscriptio: *Item titulo eodem l. Ob Carmen* §. *Si testes*, qui praecedentem supponit, utique oportet, hunc pariter Canonem ab eodem Consarcinatore, qui praecedentem adiecit, superadditum pariter esse, unà cum legibus ibi enumeratis, quae Adversario ansam praebent à num. 22. ad 38. transiliendi.

Itaque ad 38. & 39. ubi opponuntur Canon *Episcopus circa medium* 12. *qu.* 2. & §. *Qui manumittit*, manifesta pariter est Responsio, cum diverso charactere a Gratiani textu haec imprimere Gregorianis Censoribus visum fuerit, eo quod non in omnibus vetustis exemplaribus invenirentur, indeque suppositionis suspicionem facerent.

Ad

Ad 40. Canon *Illud relatum*, qui ſecundus eſt 15. *qu.* 1. ſi modò Gratiani ſit, ex Vlpiano immediatè tranſcribi potuit, vel ex aliqua Digeſtorum lacinia, ut alias dictum eſt.

Ad 41. Canon *Per adoptionem* 30. *qu.* 3. Palea leviſſima eſt, quae non in omnibus, ſed *in aliquot* dumtaxat Gratiani Codicibus MS. invenitur, ut Correctores Gregoriani notant, ideoque additicius cenſeri poteſt.

Ad 32. & alios deinceps numeros, uſque ad ſeriei terminum, Reſpondeo citatos Canones ex titulo *De Poenitentia* duplici ex Capite intentum Adverſarij non demonſtrare. Primò quia Correctores Romani, ut refert celeberrimus Antonius Auguſtinus *De emendatione Gratiani Dial.* 18. in ſua Schedula adnotarunt. *Tractatus hic De Poenitentia non videtur eſſe Gratiani;* idemque Auguſtinus de utroque ſimul tractatu *De Poeniten.* ac *De Conſecr.* paulo ſuperius dixerat: *Sunt qui putent hos duos Tractatus non eſſe Gratiani.* Secundò, quia Leges in illo Tractatu *De Poenit. diſt.* 1. ex Digeſtis citatae Auctoris inſtituto non correſpondent, nec ad rem faciunt, cum de capitalibus poenis, & profanis mulctis, ac cognitione delictorum in foro externo, & de ſimilibus agant, quae nullatenus Poenitentiae Virtuti, aut Sacramento conveniunt, & longè minus ad illius Diſtinctionis primae illuſtrationem conferunt, cujus titulus erat: *Utrum ſola cordis contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſque oris confeſſione, poſſit quis Deo ſatisfacere?* Itaque intruſa ejusmodi Capitula hic videntur, non ab ipſius Operis Auctore diſpoſita.

Sed piget in his diutius immorari, & assertionem sub dubij cautione propositam ab indiscretis, & aequè, aut magis nutantibus Adversarii objectionibus, quas velut invictas demonstrationes vanissime jactat, ut populo fucum faciat, cum majori temporis dispendio, vindicare. Tantum addo, quod ex ejusdem Adversarii confessione allegatae Leges in Gratiani Decreto deprehensae non ex toto Pandectarum Opere, sed tantum *aliquot ex Digesto vetere, aliquot ex novo deductae sunt;* nullae autem ex *Infortiato*, quod est secunda, & maximè notabilis Pandectarum pars. At in Petro Blesensi, ut ostendunt ejus verba, ex Epistolae 26. supra allegata *pag.* 8. mentio est etiam Legum in titulo *De usufructu legato* positarum qui in ipso *Infortiato* reperitur, Ergo huic potius, quam Gratiano prima totius Pandectarum operis mentio adserenda est, etiamsi daremus, Leges ab Adversario oppositas verè a Gratiano insertas suo Operi, & etiamsi ex particularium Legum citatione ad universi Operis recensionem illatio legitima foret.

VIN-

Digitized by Google

VINDICIARUM
PARS SECUNDA
CAPUT I.

De Pandectarum inventione apud Amalphim, ab Adversario parum honorificè pro Pisanis expoſita.

MAgnam mihi apud populum invidiam conflare conatus eſt Adverſarius, aſſerens, Epiſtolam meam de Pandectis ad evertendam Piſanorum, aliorumque Scriptorum latè vagantem opinionem de repertis apud Amalphim Pandectis, velut in praecipuum ſcopum, collimare; nam *pag.* 4. ita Cortonenſes Academicos alloquitur. *Scitis itaque, totam eſſe illam in evertenda Vulgi ſententia de Pandectis Piſanis in Amalphitana direptione inventis, & in confirmando teſtimonio Roberti Montenſis, Pandectas primùm Bononiae repertas eſſe, multo ante, quam ea gererentur, quae de Amalphi commemorantur.*

Verùm quiſquis Epiſtolam meam legerit, manifeſtè inveniet, me tantummodò ex Inſtituto confutandam ſuſcepiſſe Cl. Berchmanni opinionem, Piſanis parum faventem, quod integro poſt Amalphitanam cladem ſaeculo Juſtinianaea Prudentia

apud

apud eos frigueriť, nec ullum Thesauri, quem in Codicibus Pandectarum Pisani possidebant, usum in suis Statutis, atque in publico Reipublicae suae regimine fecerint. Ego itaque, pro vindicando Pisanorum honore, antiquiorem in Foris Pisanis Legum, à Justiniano in Digestis collectarum, usum, productis vetustioribus monumentis, id manifestè docentibus, evici. Hic scopus erat in Epistola illa mihi primò propositus.

Tantum *num.* 15. ex incidenti ad eam quaestionem de Inventione Pandectarum apud Amalphim vulgò credita, descendi, quia cum supra traditis de antiquiori Studio Caesarei Juris, aut dudum Pisis vigenti saeculo XI. (si modo genuina sit aetas tributa a Clarissimis Viris Martene, & Durando illi Epistolae ad Abbatem S. Victoris, quam *num.* 9. retuli), aut certé Bononiae florenti, ex testimonio Roberti Montensis adducto *num.* 12. pugnare historiola illa videbatur. Et cum ejus circumstantias varias, quae solae Pisanis favent, a plerisque eximiis Scriptoribus apertae falsitatis redargui notassem, monumentis omnibus ad eam pertinentibus diligenter excussis, mutare quoque ipsammet Pandectarum apud Amalphim existentiam, & inventionem deprehendi, quae, si nudè spectetur, nihil ad gloriam Pisanorum conducit [cum nihil referat, unde Pisani haec pretiosa Jurisprudentiae Cimelia in Urbem suam transtulerint] atque unicè subsistere Amalphitanam expeditionem bis à Pisanis susceptam, & a coaevis Auctoribus, summa concordia, absque fabulosis circumstantiis, posterorum memoriae commendatam.

Vulgata quippe Traditio ferebat, Pisanos ex universa praeda Amalphitana hos solos Pandectarum libros

libros ſibi à Lothario Caeſare donari poſtulaſſe, atque obtinuiſſe, indeque Imperatorem, cum obſervaſſet, quo in pretio Juſtinianaei libri à Piſanis haberentur, lato Decreto conſtituiſſe, ut abrogato deinceps omni alio jure, Juſtinianaea Juriſprudentia, & in Scholis explicaretur, & in Foris, ac Tribunalibus poſtliminio reſtitueretur. Haec fateor, ſiquomodo defendi poſſent, Piſanis maximè glorioſa forent, ac de illis magnificè praedicarentur; Hinc enim excelſus eorum animus, & in ejuſmodi ſtudia adeo propenſus eluceſceret, ut prae monumentis Juſtinianearum Legum pretioſa quaelibet alia ſpolia deſpicerent, ac pro ſingulari triumpho haberent, ſe non magis Amalphitanae Dynaſtiae expugnatores, quam Juriſprudentiae ſanioris Reſtauratores celebrari. Verùm ſi hiſce circumſtantiis denudatam Pandectarum translationem Piſas factam intueamur, nihil in illa ſplendidi invenies, pro quo, tamquam pro aris, & focis pugnandum ſit; imò ſplendidior, atque honorificentior eſt Pandectarum aduectio ex Conſtantinopoli, quam ego defendi, quam quae ab Adverſarſo defendenda ſuſcipitur, ex Amalphi: glorioſor eſt á Burgundio Juriſconſulto celebri, & Piſanorum Reipublicae ad Imperatorem Legato, nobiliſſimi hujus theſauri Legum ſcienter facta coemptio, aut recepta ab imperiali munificentia donatio, quam fortuita ejuſdem à Militibus, ejuſmodi Codicum pretium ignorantibus, depraedatio. Quis ergo magis Piſanis gloriam ſuam ſartam, tectamque reliquit? Quis eos ſolidius defendit? Quis illis uberius favere cenſeri debet? An ille, qui fabuloſas eſſe conſentiens ſupra recenſitas Amalphitanae direptionis circumſtantias, praeſertim *pag.* 62. rotundè aſſerens, quod *narratio haec ad nos pervenerit*

rit juncta, & implicata fabulosis illis, Lotharianо Edicto, de Romano Jure restituendo, Donatione Pandectarum, qua eas Pisanis concesserit Imperator, Divisioni praedae Amalphitanae, è qua bi dumtaxat libri Pisanis obvenerint, volentibus, & magno animo, prae illis, caetera omnia aspernantibus, in nuda asportatione Pandectarum ex Amalphi a Militibus facta, contra nostras oppugnationes, frigidis quibusdam interpretationibus, violenter obtrusis, tuenda infoeliciter laborat, eamque ipsam tanti Codicis acquisitionem a Pisanis non magno in pretio tunc habitam *pag.* 58. & 59 persuadere cum Berchmanno nititur, ideoque in eorum vetustis Chronicis non fuisse commemoratam, ait enim: *Minima autem res fuit inventio Pandectarum illis temporibus, quibus ejus voluminis antiquitas, elegantia, & auctoritas nondum celebrata erat &c.* Et qui hanc ipsam opinionem, de inventis apud Amalphim Pandectis, *Haeresеos* vocabulo infamat *pag.* 73. ut infra perpendam: an ego potius, qui & vetustiorem Legum Romanarum usum, atque earundem antiquam venerationem apud Pisanos fuisse, contra Brenchmannum, demonstravi, quique celeberrimum Bulgarum Juris Consultum longa, & perdifficili disceptatione Pisanis allerendum curavi, & Burgundii Viri doctissimi inter Pisanos praeclara gesta, & multiplicia scripta recensui, atque eorum alterutri, sed potius secundo, referendam esse Pandectarum acquisitionem, ad Patriae suae immortale decus, ex industria factam asseruí, ac tot praeclaris monumentis in Appendice aditis, Pisanas res illustrare non inutili opera, sum conatus?

Haec ego commemoro, non ut dilectissimae Urbi, cui plura debere me fateor, collata haec qualiacun-

cunque beneficia exprobrem, sed ut seditiosas Impostoris voces refundam, qui falso rumore in me concitato Urbem totam implevit, & quali ejus Gloriae invidum peremptorem impudenter apud ignaram plebem traduxit: se verò Pisani honoris vindicem, reparatorem, ac defensorem jactavit, oblato Illustrissimis, ac Magnificis Civitatis Prioribus Liberculo suo, quem in publico Archivo, velut egregium Pisanae Gloriae monumentum, servarent, ac Posteritati, ad maledicentiam scilicet, ac mendacia, & parum urbana dicteria, quibus ille scatet, addiscenda, relinquerent.

Verùm non his auxilijs, nec defensoribus istis Urbs Pisana indigebat, cui nullam ego dedecoris labem asperseram, imò veram non fucatae veritatis laudem allerueram, tantum enim abest, ut quicquam ejus honori conferat praetensa apud Amalphim, eaque fortuita Pandectarum praedatio, ut Auctores non desint, qui id probro vertant Pisanis, ac de violenta usurpatione illos accusent (apud Brenchmannum *pag.* 64.) quod licèt minus verè, atque immeritò dictum fatear, nam belli jure id spolium ad Victores legitimè spectaret: nihilominus negari nequit, ab omni calumniae periculo magis illos alienos fore, si justae emptionis, aut liberalis donationis titulo hos sibi libros acquisisse dicantur, ut ego sum opinatus. Aliunde autem non omnes Pisani Scriptores id sibi honori tribuerunt, quod ex *Amalphi* potius, quam aliunde libros illos habuerint, sed quod absolutè illos possederint, ac debito in pretio habuerint. Ita Joannes Pagnius insignis Antiquarius Phil. ac Medic. Doctor egregius, non in Hetruria modo, sed in Tunetano quoque Regno percelebris, ubi virtutis suae plura monumenta reliquit,

liquit, in oratione quadam, pro Instauratione Studiorum habita in hac Pisana Academia, cujus erat Professor, Patriam suam laudaturus haec habet: *Urbs antiquitate nobilis, armis decora, litteris celeberrima: Urbs quae octingentis, & quinquaginta ab hinc annis* [nempe anno 825. apud Sigonium *De regno Ital. lib.* 4, ut inde inferas, hanc orationem ab illo circa annum 1675. recitatam] *viros protulit juris consultissimos, quorum authoritate Lotharius Italiae Rex Leges de Feudis Romae promulgavit. Urbs, cui Leges quicquid sunt debent, cum ejus Cives paulo supra saeculum undecimum Pandectas Prorotypas attulerint: quarum primum Interpretem Irnerium advocarunt, foverunt, audierunt.* Haec ille, non in Pisanis laudibus numerans, quod ex *Amalphi* Pandectas abstulerint Majores sui, sed quod, undecunque acceptas, huc illas *attulerint*. Quod de Irnerio autem habet Pisano Professore, unde acceperit Vir Clarissimus, nescio: nisi quod postmodum Berchmannus *pag.* 31. scripsit: *Praeterea in gratiam Mathildae Pisis primum legi, & doceri coepisse jus Romanum traditur: quum autem Irnerius primus omnium Juris professionem aperuisse credatur, necesse est, Pisis quoque ipsum docuisse*. Id quod optarim idoneo vetusto testimonio posse evidentius comprobari.

CAPUT II.

De eadem Inventione Pandectarum, ut parum firmiter ab Adversario propugnetur.

SEdenim haec dimittamus, neq; enim ex arbitrio & ad votum nostrum effingenda historia est: nihil censeri debet Pisanis favere, quod Veritati non fave-

faveat. Rem ipsam historiae propositae dispiciamus, quam unicè è Gryphiana domo prodiisse animadvertens *pag.* 77. Pisanos, ut Veritatis amantes, qui nil tale in authenticis Chronicis suis admiserint, hoc etiam nomine laude dignissimos celebravi his verbis: *Mirum sanè, in aliorum Pisanae Nobilitatis Procerum Domibus nihil hujc Commento simile reperiri unquam potuisse: verum illi has nugas non consectantur, nec ejusmodi malè consutis naeniis tam facile indulgent, sed sinceram, nullisque fucatam mendaciis veritatem amant; qualis in pervetustis Chronicis ab Ughellio, & Muratorio editis apparet, nullo Grypho invotam, impeditamve, ut Oedipo opus sit ad eam ab erroribus extricandam.*

In his ergo genuinis Pisanis Chronicis cum utraque Pisanorum expeditio in Amalphim recenseatur, nec de Pandectarum inventione, ullave ipsius circumstantia, quicquam narretur; sed & in coaevis, & in ea ipsa regione, in qua haec acciderunt, viventibus Scriptoribus, de hoc ipso Amalphitano bello fusè loquentibus, nempe Falcone Beneventano, Romualdo Salernitano, & Alexandro Abbate Telesino, de tam celebrati voluminis direptione a Pisanis facta nihil habeatur, non est ita facilè admittenda. Quod enim *pag.* 62. replicat Adversarius, neque Poggium, aut Bonintegnium, coaevos Pisarum oppugnationi, a Florentinis factae, Scriptores, in ejus belli historia meminisse Pandectas Florentiam à Victoribus translatas, ad rem non facit: nam primò horum Codicum translatio, non post ipsam pugnam immediatè, sed quinquennio post, nempe anno 1411. ipso Adversario fatente, facta fuit per Ginum Capponium Praetorem, *ac si videliset*, inquit *cap.* 10. *lib.* 1. Clarissimus Berchmannus,

tamdiu ea de re deliberatum fuerit, cum Pisis esset celebris Academia; Aut forte antea Florentinis in mentem, jeriamque deliberationem non venerit. Itaque ad illius belli historiam non spectabat ea circumstantia, ideoque non mirum, fuisse ab illis praetermissam. Secundò patet, aliunde idonea documenta, ac testimonia haberi ejusmodi Translationis Pandectarum per Florentinos hinc factae; ac rem ipsam in manifesto esse, cum utrique terminus, ut ajunt, illius evidenter probetur, scilicet tam quod Pandectae antea Pisis extarent, quam quod ab anno praenotato Florentiae deinceps conservatae sint, & adhuc serventur. Non ita verò quis ostendet, Amalphiae olim extitisse Pandectas, quae a Pisanis postmodum sunt custoditae.

Ad haec, cum post duo dumtaxat, vel tria & amplius saecula praetensae inventionis traditio, plurimis apertè falsis circumstantiis involuta, se prodat, non á claris, & accuratis Auctoribus, qui ex tuto, & syncero fonte illam hausisse, prudenter praesumi possint; consequens omnino est, ut subtestatae fidei Factum haberi debeat, ac sine ulla temeritatis nota prorsus despici, ac negari oporteat, usque dum certiora documenta proferantur, cujusmodi nulla sunt ab Adversario allata, in quamcunque se partem verterit, ut novum aliquid huc pertinens expiscaretur. Historicis enim Axiomatis loco esse debet illud magni Ecclesiasticae Historiae Parentis Baronij Cardinalis effatum *initio tomi* 1. *Annal. n.* 12. à Criticis omnibus passim receptum: *Quod à recentiori Auctore de rebus antiquis, sine alicujus vetustioris auctoritate, profertur, contemnitur.*

Primus utique, qui de Pandectarum inventione a Pisanis facta nescio quid mussitaverit est Rayne-

rius

rius Granchius, ducentis, & amplius ab Amalphitana expeditione annis exactis, in suo Caliginoso Poemate *De Proelijs Thusciae*; verum adeò subobscurè, ut nescias, an Amalphi, an Neapoli, an aliunde illas Pisani advexerint. Delio natatore opus est, ut sensum Vatis hujus exsculpere possis. Verè de hoc Poemate, ejusque Auctore (cujus conservationem mihi ipsi Pisani debent, qui illius MS. Codicem, aliàs ab Anglis Viatoribus ex Italia asportandum, Classensi Bibliothecae comparavi, unde Cl. Muratorij diligentiae ab eruditissimo Abbate nostro Cameto commissum est, ut inter Italicarum Rerum Scriptores tomo XI. imprimeretur) idem Doctiss. Muratorius praefatus est: *Ad hunc, nisi Oedipus sis, non accedas; & quum sis quoque Oedipus, novae hujus Sphingis, non oracula dicam, sed deliria, ac monstra, quantumcunque frontem corruges, ac inediteris, non facile assequi valeas.* Contendamus tamen versus huc pertinentes exponere. *Is sub finem libri* 3. Pisanis in mentem revocat eorum antiquam originem:

Nunc o Pisa, meum tibi carmen sit documentum.
Aspice principium Graecorum Pisa tuorum,
In quibus & virtus fuit, & sapientia magna
Teste & Aristotele, Platone, & Socrate magno.
Qualiter ipse Pelops tuus extitit aedificator.
Hos habuisse Patres, urbs nobilis, ipsa memento,
Ante tuum regnum Romanum quam viguisset,
Per bene quingentos transactos firmiter annos,

Tum praeclara Majorum facta commemorans, praestitum Aeneae auxilium contra Turnum, Lucenses domitos, Montis aperti proelium, expeditionem Hierosolymitanam, devictas Senas, pugnam ad Meloriam, ac nescio quae alia his interspersa, subdit denique.

As-

Affrica Pisano quando auspice fertur Hugone,
Malphia Parthenopes datur, et quando omne per aequor
Unde fuit Liber Pisanis gestus abillis
Juris, & est Pisis Pandectarum Caesaris alti,
Civibus adjunctis animo, mente atque fideli.

Non miscior; hinc occasionem sumi potuisse, suspicandi quod Pandectarum inventionem Amalphitanae direptioni Auctor tribueret; sed etiam commodè illum interpretari quis potest, quali facta prorsus distincta celebratae, subactam Africam, deinde Amalphim expugnatam, tum Parthenopen captam, alias verò longo maritimo itinere advectos juris Caesarei Libros, unde unde acceptos, ac forte è Constantinopoli; sic enim minus exaggerata erit expressio illa *omne per aequor*, quam si ad brevem, ac ferme litoream Tyrrheni maris navigationem restringatur, quam Pisani ex Amalphi reduces instituere debuerant.

Expressior ergo vulgaris opinionis traditio ab anno circiter 1507, scilicet 370 post Amalphitanam expeditionem annis, incipit in historia illa Gryphiana, quam semel Bologninio obtrusam omnes amplexi sunt, novisque adnexis fabulosis circumstantiis adornarunt. Hanc plurium errorum convicit Brenchmannus, & ipse pariter ejus auctorem mendacii redargui, ex quo Concilium ab Innocentio II. Romae celebratum anno 1130. fingat, & eodem die Pisanos 46. Triremes armatas coegisse, atque Amalphim expugnasse asserat, & ipsam Amalphim a Pisanis incensam narret, ac Tranum ab illis altera die expugnatum indicet. A primo purgare nititur Adversarius historiolae Auctorem, tum numerorum notas refingendo, tum verba ipsa im-

mu-

mutande, tum Concilii vocabulum in alium sensum detorquendo. Sed Aethiopem lavat. Nam si ad arbitrium reformare Scriptorum calculos, & verba licuerit, quidvis ex quovis elicere, & Hyerosolymae expugnationem, aut Urbis Constantinopolitanae direptionem in eadem hac historia legere facile erit. Sp. illo pro *Roma* substituendas esse *Pisas* conjicit, quia non Romae, sed Pisis Concilium illud celebratum esse constat; poterit alius aequo jure pro *Amalphi* legere *Constantinopolim*, indeque ex hac ipsa historia relatas Byzantio Pandectas sibi persuadebit. Si legi debeat annus 1134. ubi est 1136. atque intelligendum Concilium Romae habitum non Ecclesiasticum, sed politicum, ideſt Conventus Imperatoris Lotharii cum Pontifice, & aliquot Episcopis atque Abbatibus; cur Historicus de Lotharii Imperatoris interventu penitus tacet, licet de variis Principum Legatis Concilio praesentibus loquatur, ibi: *con molti Signóri, & Oratori*? Ad haec: Si Lotharius *nesciente*, ut ex Epistola S. Bernardi probavi, Pisani primam Amalphitanam expeditionem fuscepere, quomodo quis contendere possit, eam expeditionem á conventu Lotharii cum Pontifice conclusam, & Pisanis injunctam fuisse? Nam de Concilio historia illa loquitur in ordine ad Amalphitanam exdeditionem Pontificis jussu susceptam.

Alterum de Amalphis expugnatione ipsa die, qua triremes Pisani armaverant, eludere tentat Adversarius, exemplo Codicis cujusdam Strozzianae Bibliothecae (ex Brenchmanno *pag.* 64. Adversarius id rescripsit) ubi legitur: *Nel 1411. quando fu presa Pisa vennero le Pandette come Spoglie de Pisani a Firenze*, illud enim ita interpretandum, ac si dictum fuisset *postquam Pisae captae essent*, quippe hic Scriptor

tor non ignoraverit, Pisas anno 1406. die 9 Octobris in potestatem Florentinorum venisse. At vim argumenti non percepisse videtur: nam cum dicit Auctor de Pisanis: *pridie nonas Augusti armorono 46. Galee, e furono alla Costa de Malfa, e quello di per forzia lo presero*, advertendum est in nota temporis *quello di*, ipsamet die supra nominata, qua videlicet nota fuerat in Amalphim Classis ex portu Pisanorum, & quae *pridie nonas Augusti* (referente ipso Adversario *pag.* 38. & 39.) etiam à Sigonio designatur, cum Amalphitana expugnatio in 7. idus Augusti, per Donatum Astensem incidit.

Tertium de Amalphitano incendio nihilo foelicius defenditur, fatetur enim *pag.* 45. Adversarius id *a nemine hactenus in literas relatum se invenisse, si exurendi atque incendendi verba requirantur*; itaque ad tropos & figuras recurrit, quibus solet *incendio bellum* comparari, quod Homeri, & Horatii testimonio confirmat; sed quam puerile id esset fortasse attendens, in omnem se partem vertit, ut exaggerata aliqua insignis cladis verba in historicis inveniat, quibus devastatio velut à flammis grassantibus facta videri possit. Id in Telesino Abbate sibi visus est deprehendisse, quippe qui Pisanis, Rogerii Siciliae Regis, cujus ille partibus studebat, inimicis plurimum infensus, Amalphitanam cladem ea phrasi exaggerat, *funditus impieque depopulantur*; contendit ergo *depopulatores* non, ut hactenus Lexica exposuerunt, *Saccheggiatori* dumtaxat, sed *Incendiarios* esse, atque hunc barbarum vastandi morem Pisanis affingit, ut verba suae historiolae, *bruxorono*, salvare possit. Quod quis non agnoscit nimis violenter, & impropriè dictum? Nec juvat, quod Pisani ipsi in secunda saltem Amalphitana aggressione,

ut

ut Falco Beneventanus notat, cujus verba *pag.* 49. Adversarius noster trunca refert, excogitarint ipsam urbem *igne, ferroque depopulari;* nam id re ipsa non praestitere, quia ut subdit Falco, *Amaphitani consilio salutis invento pecunia multa data* vexationem hanc redemerunt, *ad Imperatoris, & Pisanorum fidelitatem* redeuntes, ac in ea permanentes. Non mirum autem, si in secunda expeditione parati fuerint Pisani ad urbem hanc incendendam (uti Rebellum, & Schalam reipsa *in ore ignis, & gladii* consumpsere) a qua barbarie, pro miti eorum ingenio, in prima aggressione abstinuerant; Nam & cladibus ab exercitu Rogerij, post direptionem illam, acceptis, & Urbis ipsius infidelitate, ac pertinacia irritati erant, cùm illam secundò sibi invadendam proponerent.

Ad quartum de Tranii expugnatione altero die facta, me Censor suggillat *pag.* 49. quod *inconsideratè, & perperam* de Trano Apuliae id fuerim interpretatus. Ego imperitiam Scriptoris redarguere ex propria nominis significatione satis habui; nec ipse foelicius eam vocem interpretatur, *Tramontium* pro *Trano*, ineptis conjecturis, substituens. Sed *Atranum* oppidum maritimum Amalphitanae regionis, tum hic, tum in vetustis Pisanis Chronicis [etiam ubi *Acrani* legitur] scribi forte debuerat: quod Castrū etiā nunc supereſt, ac referente Ughellio 1350. animas complectitur. Sed hac de re vide quae infra adnotabo: nunc enim parumper loco cedendum, nam Paedagogi ferula arrepta me in Grammaticā etiā peccasse Adversarius jactat, nedum ubi impressoris nostri mendum corrigens, putat *pag.* 87. me scripsisse *in Graeciam vel Illirico*, & corrigendum monet, *in Graecia rectius*, sed etiam in hac historiola refutanda, ubi ejus Scri-

prorem Pisanorum *Concivem* appellavi; ait enim *pag.* 54. ex latino-barbaro *Du Cange Glossario forte acceptum verbum* illud á me fuisse. At non inde, o bone! verbum illud accipere poteram, quod in Glossario Du Cangii non reperitur, sed ut satis notae significationis, & ad genuinam latinitatem pertinens praetermittitur. Ex usu ipso illud accepi, quem in Calepino Clariss. Facciolati approbatum video, & auctoritate Jul. Frontini, nedū Hieronymi, & Tertulliani, confirmatum. Expectabasne, ut *Conterraneum* fortasse vocarem, ut Scienses tuos ipse appellare consueviſti? Apage nugas istas gravi, & serio homine indignas!

Ad rem nostram potius veniamus. Vanam putat objectionem meam, quod historicum illum reprehenderim, unam tantum expeditionem Pisanorum referentem, quae minus prosperè illis cesserat, altera dissimulata, quae illis foelicius contigerat: quippe reponit, *nihil hujus Scriptoris haberi aliud a nobis, quam particulam illam ejus Codicis, quem Bolognius describi curavit*, & illud extremo loco in historia positum: *e, l'altro dì andorno a Trani, e quello presono a forza &c.* quo concluditur narrationis illius particula, signum esse, quod in eodem Codice alia consequerentur, inter quae poterat alia etiam expeditio Pisanorum reperiri descripta, pro ut contigit. At hoc ipsum est, quod evincit. Auctorem historiolae alteram Pisanorum expeditionem planè ignorasse; nam huic primae affingit Trani, sive Atrani expugnationem, quae in secunda dumtaxat aggressione Regionis Amalphitanae ab Antiquioribus Pisanis Chronicis, à me ex Ughellio, & Muratorio relatis facta dicitur; Primae verò aggressioni tantummodo [praeter Amalphim] Ravelli, Scalae,

hæc, & Scalellæ, Majorij, & Minorij [quæ duo alia oppida sunt] expugnationū Chronica illa tribuunt, non verò Atrani: eninverò *quatuor Civitates*, præter Amalphim, in prima expeditione á Pisanis expugnatas describunt Chronica ex MS. Codice Benedicti Leoli vulgata. In his *Scalam*, & *Ravellum* fuisse omnes contentiunt; in Breviario vetusto historiæ Pisanæ additur *Minorium*, quod pariter Urbs est Episcopalis; & S. Bernardus memorat *Atturinam* Civitatem: ubi forte legendum *Litturinam*, sive *Litterensem* Urbem, vulgò *Lettere* in eadem Provincia existentem, & Amalphitano Archiepiscopo suffraganeam, æquè ac præcedentes. At in secunda aggressione Pisani nedum *ceperunt easdem Civitates*, sed & alia quædam oppida, & loca: inter quæ sive *Ascani* legas, sive *Atrani*, sive etiam *Trani*, ut eousque progressi fuerint Pisani Milites, atque Apuliam ipsam subegerint, per me licebit, cum nihil ab historia repugnet. Imò cum Scipio Mazella Neapolitanum Regnum describens in vita Rogerii tradat Pisanorum exercitum excurrisse usque ad *Melfitum*, & *Barulum*, quis dubitet, etiam *Tranum* ab ijdem occupatum fuisse, cùm utrique loco interjaceat? Certè, antequam Pisani ab Imperatoris Lotharii exercitu discederent, in illa secunda expeditione, Apuliam totam Pontificis Innocentii, ac Cæsaris partibus subjugatam fuisse scribunt Romualdus Salernitanus, & Falco Beneventanus, cujus hæc sunt verba: *Universa Apuliæ Oppida, & Civitates ad suum imperium alligavit: & his actis, mandavit Imperator, ut Pisanorum exercitus Salernum obsideat.* Cur ergo quis invideat Pisanis eam gloriam, ut etiam in Urbis Tranensis expugnatione symbolum suum cum Lotharij exercitu contulerint, ideoque in eo-

rum Chronicis *Tranum* quoque ab ipsis subactum recenseatur? Gryphiana siquidem historia non eo nomine a me reprehensa, est quod Tranum Apuliae à Pisanis edomitum narret: sed quod *altero* post Anna phitanam direptionem *die* id factum referat, & quod *Primae* Pisanorum *expeditioni* in Rogerium id facinus tribuat, quod ad secundam dumtaxat spectare potest:

Caeterùm, nedū fatcor, *nihil aliud ejus Scriptoris haberi*, sed nec umquam aliud in rerum natura fuisse suspicor, praeter decem illas lineas ab Impostore ita compactas, ut Bolognino homini simplici, & incrudito fucum faceret, ac justae historiae veteris apud se descriptae, in qua Pandectarum inventio apud Amalphim facta legeretur, opinionem ingereret. Hinc post titulum illum historiae praefixum, *Incomincia la Guerra contro il Re Rogerio di Cicilia inimico della Chiesa Romana*, inconditum illud initium ex abrupto sequitur. *Per la qual cosa dell' anno* 1136. *li tredici di Zugno si fece il Concilio in Roma &c.* Hinc & festinanter agglomerat Historicus, Pisanos naves instruxisse, Amalphim venisse, expugnasse, Pandectas inveniſse, Urbem incendio vastasse, Tranum occupasse &c. tam paucis lineis, tam multa, & quod praecipuum persuadere conabatur de Inventione Pandectarum, sub ipsum historiae initium complexus. Ita mihi persuadeo, donec integra historia proferatur, quam extitisse Adversarius contendit, atque ejus caeterae narrationes examini subiicantur. Notarius, qui particulam illam descripsit, non aliud testatur, quam *ex libro Chronicae Pisanae Civitatis, existente in Domo magnifici Comitis &c.* se illam particulam descripsisse; & verò potuit Frustillum illud confictae historiae in Codice adscri-

adſcribit, continente vera Chronica Piſana, qualia vulgata jam ſunt, & hoc ipſum Notario exſcribendum exhiberi; ſed ultra has lineas progreſſam fuiſſe hiſtoriam illam non liquet.

Meminerit Tanuuccius Gryphum animal fabuloſum eſſe: quin etiam ex eadem Gryphiorum Domo Traditionem prodiiſſe Lothariani Diplomatis, quod ipſimet noſtro Adverſario fictitium videtur, nec ullo pacto ſuſtineri poteſt, cum Lotharius Caeſar primae illi expeditioni Amalphitanae non interfuerit, ſed *ſoli Piſani*, teſte S. Bernardo, qui propterea nihil cum Lothario ex illa praeda dividere, nihil ab illo remunerationis loco poſtulare debuerant; & tamen, Taurellio teſte, non id modó ſimplici credulitate verum jactabat Plotius Gryphius, ſed et ejus Donationis exemplar apud ſe fuiſſe turpiter confixit, ac aliis credendum obtulit. Profecto ſi Piſanam hiſtoriam ex adeò fallacibus monumentis noſter Doctor Stienſis ſcribendam ſibi proponit, hariolari poſſumus, quo ſucceſſu id penſum ſit ſuſcepturus.

Addit tamen Adverſarius *pag. 57. Denique etſi in hac tota hiſtoria falſus Piſanus Scriptor ille fuerit, mihi tamen cedere debebit Reverendiſſimus Grandius* [alio charactere haec duo poſtrema verba deſcribit, quia non ex animo, ſed ironicè hunc mihi titulum affectata repetitione paſſim attribuit, cui nullam aliunde reverentiam ſervat] *hoc monumentum eſſe argumento opinionis, in qua illius temporis homines fuerint, Pandectas videlicet Piſas ex Amalphia deductas eſſe; hoc enim conſequens ex quamlibet falſis narrationibus ducendum eſſe, exploratum eſt omnibus, qui Criticum docent.* Expectabam ut adderet, etiam traditionem de illo Romano Concilio Innocentii Pontificis anno

Digitized by Google

no 1136. celebrato, hinc confirmari; Sed praeter quamquod nonnisi privatae opinionis Gryphianae Domus testimonium hinc eluceat, repono serò nimis proferri, post 3. Saecula cum dimidio jam exactà, vulgarem opinionem, etiamsi communi calculo receptam, nisi vetustioribus monumentis fulciatur: & multò manùs anchendam esse, cùm illi adversa testimonia antiquiora produci possunt, quale est illud Bartholi, qui cum Pisis viveret, ac doceret circa annum 1339, locupletissimus testis est, Pandectarum volumen *totum semper Pisis fuisse* (postquam scilicet Codex ille in Italiam illatus est) non autem *Ravennae*, ubi repertas ejus aliquas partes ferebant: idem proculdubio de *Amalphia* dicturus, si de illa urbe tunc quaestio instituta fuisset, vel illam excepimus, si tunc temporis vulgaris opinio tradidisset quod nunc omnium ore circumfertur de Legibus ex Amalphi Pisas relatis.

Frustra verò excipit Adversarius *pag.* 78. dictionem *semper* non aeternitatem temporis, sed continuationem significare. Id ultro concedo, nec sanè verendum erat, ne Bartholum suspicarer, Volumen illud *ab aeterno* Pisis servatum indicare voluisse. At cum proposuisset sub initium *Infortiati* aliquot de hac appellatione opiniones, quarum prima huic historiae innixa erat: *Cum Studium esset antiquitus destructum Romae, istud Volumen fuit amissum, postea Studium incepit Bononiae esse, sicut adhuc hodie est, & istud volumen fuit recuperatum Ravennae* &c. Quid ad haec Bartholus? *Hoc puto falsum, nam hoc volumen nunquam fuit amissum; semper enim fuit totum volumen Pandectarum Pisis, & adhuc est.* Quae responsio evidenter supponit, ex quo in Italiam hic Codex allatus est, non alias pervagatae Civita-

vitates, ſed immediatè illum Piſis collocatum, ibidem continuato tempore perſtitiſſe. Nec fieri poteſt, ut diſſimularet translationem ex Amalphi huc factam, ſi illi nota fuiſſet.

Atque hic obiter animadvertant velim Lectores, an non ex integro verba, & ſententiam Bartoli adduxerim, ne iterum mihi ab Adverſario exprobrandum ſit quod *pag.* 79. habet: *Hoc Bartoli ſenſum patefeciſſet Reverendiſs. Grandius, ſi INCIVILE illud non peccaſſet, quod improbat Celſus* in l. inciuile ff. de legib. *Bartoli ſententiam ſecans.* Et infra: *ſed quod homines INCIVILE eſſe judicant, turpe non putat Reverendiſs. Grandius, qui CIVITATES reliquerit: hujuſmodi enim aliud turpius in me commiſit.* Mox paucis interjectis *pag.* 81. eodem amaro ſed rigido ſale eandem aeque falſam, atque impudentem criminationem refricat, dicens: *Haec, Reverendiſs. Grandius non inficiabitur, neque enim valet & CIVITATEM, & veritatem deſeruiſſe.* Nullas utique Civitates ipſe habuit, quas relinqueret, ubi Piſas, ob optimo Patruo tuo Juris Pontificii conſultiſſimo Legalis Prudentiae Studiis initiandus acceſſit. Non Urbem aliquam, ſed *Stiam*, hoc eſt, ut anglico ſermone dicitur, *Hog Stie*, deſeruit. Ego Nobiliſſimae Patriae meae valedixi, non ut in deſertas Sylvas, & Eremos me conferiem, ubi corpore, nedum animo, ab urbium ſtrepitu me ſubducerem; ſed Ravennam, veteriſſimam illam Aemiliae Metropolim contendi, ac Monaſticae vitae inſtituris in Claſſenſi celeberrimo urbano coenobio me addixi. Hinc Romam, Florentiam, Piſas incolui: nec quiſquam, Deo favente, mores meos culpare, meamque vivendi rationem, ab urbanitate, & honeſtate fuiſſe unquam alienam dicere eſt auſus: animum

mum fuci nescium, erga omnes benevolum servavi semper, & servo. Syncerae veritatis amans, assentantium artes non didici, adulationum technas odi. Hoc uno sensu fortasse *Civitates reliquisse*, imò & nunquam coluisse, dici possum: alio sensu qui id àseruerit, sive corticem, sive medullam spectes, mera calumnia erit, quam nonnisi *Daccus ter inurbanus* in hominem honestum evomere possit. Verùm ab argumento, quod prae manibus habemus, ne digrediamur.

Aequè ignota fuit praetensae translationis Pandectarum ex Amalphi factae traditio Abbati Panormitano *in* 2. *lib. Decretal. cap. Quamvis de sent. & re judic.* ubi Pandectas memorat, *in quibus sunt originalia Legum, quae Pandectae olim erant Pisis, hodie verò sunt Florentiae, & ibi eas vidi*; ubi cur non scripsit, fuisse olim *Amalphiae*, tum Pisis, ac postea Florentiae?

Ignota fuit Angelo Politiano summo libri Pandectarum Encomiasti, qui toties de illo differit, eumque haud minimam *praedae Pisanae portionem*, à Florentinis scilicet factam, vocat, *& non jam Pisanas Pandectas, ut quondam, sed Florentinas* vocandas praedicat: nusquam verò Amalphitanas fuisse indicat.

Ignota & Tristano Calcho Mediolanensi Historico, qui *sub finem lib.* 3. ait: *Archetypa Pandectarum, nescio qua tempestate delata in Italiam, diu Pisis servata sunt: inde Florentini in Curiam suam transtulerunt*, de illa priori Amalphitana statione omnino silens.

Ignota ipsimet Ludovico Bolognino, antequam à Gryphio de hac opinione tunc nata instrueretur, unde in Cautione a Berchmanno relata *pag.* 39. il-

las

las vocat *Florentinas Pandectas, quae olim Pisanae, ac per prius Constantinopolitanae*, uti Adversarius ipse, postquam id ego *pag.* 102. prior animadverteram, consensit *pag.* 76. Ubi ergo Traditio ista involuta latebat, cui adeo fidit Adversarius?

Sedenim velut praecipuum caulae suae praesidium huc advocat Raphaelem Volaterranum, quasi verò is faveat inventioni Pandectarum apud Amalphim factae, quam urbem ne nominat quidem in testimonio per Adversarium adducto, sed tantum *Neapolim*, unde Pandectas huc à Pisanis transfectas tradere videtur: quod & Neapolitani praetendunt; Atqui homo saeculi sextidecimi, qualis erat Raphael Volaterranus, absque vetustiori testimonio, quo suam assertionem confirmet, non est audiendus, ubi de rebus agitur, quae ante medium saeculi duodecimi contigerunt, juxta principium Baronianum superius allatum.

Neque ego Leandrum Alberti, Jacobum Thuanum, & Paulum Merulam pro sententia docente Pandectas huc immediatè Byzantio allatas citavi, ut eorum auctoritate, quid de hoc facto antiquo sentiendum sit, evincerem, ut Adversarius putat *pag.* 72. sed ut à mea sententia novitatis invidiam averterem, dum ab aliis Scriptoribus tradita jam, & vulgata ostenderetur: utque jactatam de Pandectis Amalphi repertis traditionem, non ita ab omnibus receptam, ac probatam demonstrarem, quin aliqui essent, qui ab ea dissentirent.

Caeterum non abnuo, nubem Auctorum recentiorum, post Bologninium, & Taurellium, a quibus inter Jurisconsultos vulgaris illa traditio propagata est, posse assignari, qui vel absque examine illam amplexi sunt, vel Encomii gratia Pisanos ab

eo laudis argumento, quod circumferebatur, commendarunt. Et ego, quoties opus fuerit, horum myriadem dabo, siquis, ob Scriptorum numerum sibi de victoria plaudere velit, in illam exultationis vocem cum Adversario erumpendo: *vicimus in vicimus!* Quin & ipsemet, antequam hanc historiam discuterem, in ea opinione fueram, & si qua se occasio praebuisset, inter Pisanorum egregia facta, etiam sortem, tanti Thesauri apud Amalphim inveniendi, ultrò ac libentissimè recensuissem: idem & deinceps facturus, si certioribus monumentis id mihi demonstraverint. Neque ego litem movebo illis, qui adhuc in ea sententia perseverare velint, etiamsi communi illo circumstantiarū apparatu, quas ipsemet Adversarius fabulosas agnoscit, eam circumvestiant: *unusquisque enim abundat in suo sensu*: modò & mihi liceat, quae magis verosimilia videntur opinari, & aliis proponere, si lubeat, amplectenda, absque cujusvis injuria.

Tantum addo, plerosque Auctores, quos suae sententiae favere Adversarius putat, esse illi contrarios; nam Pandectarum inventionem apud Amalphim ita referunt, ut simul & optionem Pisanorum, ex universa praeda, hos solos libros sibi eligentium, & Lotharij donationem, & Decretum de Romano jure in scholis unicè explicando, atque in foris servando referant, quas ille circumstantias penitus abiicit, ut apertè confictas. Itaque communi opinioni reipsa adversatur, & quos pro se laudat Scriptores reipsa erroris redarguit, imo *haereticos* impudenter appellat; Nam *pag.* 73. ait, quod omnes Jurisconsulti post Bolognium, & Taurellium, *& aliarum etiam rerum Scriptores multi, quibus de Pandectarum originibus sermo incidit, in hac HAERE-*

SI

SI fuerunt: a quo infami vocabulo abſtinere ſaltem debuerat Adverſarius, dum ſtatim iis, *qui in hac haereſi fuerunt*, adjuncturus erat *ſapientiſſimum, vitaque integerrimum ſenem, eundemque Chriſtianae Reipublicae decus maximum*, utique ſumma veneratione dignitſimum, quem non dubito, quin offenderit vocis illius apud Chriſtianos execrabilis uſurpatio. Et ſi enim electionem ſingularis dogmatis importet, apud Chriſtianos tamen Scriptores in deteriorem partē ſemper accipitur *Cap. haereſis* 24. *q.* 3. Voſſius *in Lexico Aetymol.* ubi ait: *Haereſis Chriſtianis eſt dogma adverſans principiis Religionis Chriſtianae* Idem habet Facciolatus *in ſuo Dictionario*, aliique Lexico-graphi, & uſus Catholicorum Auctorum idem confimat.

CAPUT III.

Alterius inanis Querimoniae, imo Calumniae Adverſarii Depulſio.

NUnc ad alteram criminationem venio, ab Adverſario mihi tam mendaciter, quam impudenter impactam. Factum recitat, atque impreſſa ad marginem manu *pag.* 79. indigitat. *Hujuſmodi*, inquit, *aliud turpius in me commiſit*, quod quale ſit ſuo modo exponit, ideſt plurimis falſis interſperſis, quae etſi vera eſſent, non ideo apud prudentes Viros tanti facinoris reus haberi poſſem, quantum ille furore plenus exaggerat. Rem geſtam, ut revera contigit, ipſe ſyncerè narrabo, quam cum ejus narratione conferre quivis poterit, & quam multis mendaciis illam infarcierit, non abſque ſtupore, deprehendet.

Dum alteram Epiſtolae meae editionem ſuperiori anno 1727. pararem, etiam Clariſſimus Valſecchius ſuam eruditiſſimam Epiſtolam *De veteribus Piſanae Civitatis Conſtitutis* adornabat. Ab eo intellexi, quam plura ejuſmodi Statutorum loca ex Digeſtis derivata eſſe, ad eorum confirmationem, quae in mea illa Epiſtola *num. 5. & 6.* dudum ipſe propoſueram. De his ipſis locis idem Valſecchius cum Tanuccio contulit, qui ut aliorum contemptor eſt, ſuique unius admirator, protinus ab eximio J. C. & Advocato, qui tum adhuc in vivis erat, Coſmo Borghinio, vel ab ejus filiis, Statutorum Piſanorum exemplar mutuatus, ſe utpote in Pandectis verſatiſſimum uno dumtaxat, eoque ſimplici, ac perfunctorio oculorum excurſu, abſque ullo labore, ex illis Statutis quaecunque loca ad Pandectas alluderent ſtatim excepturum promiſit. Elenchum itaque horum locorum in ſemifolio deſcripſit, eumque mihi, dum alia occaſione ad ejus domum divertiſſem, ultro obtulit, quo ipſe uterer in Opere meo recudendo: mihi enim tunc favere magis videbatur, quam ipſi Valſecchio, cui nunquam (ut mihi liberaliter ceſſerat) Donati Aſſenſis libros percurrendi commodum exhibere voluit.

In illo igitur elencho, inter alia, ſic adnotatum vidi ejus manu: *Vacua poſſeſſio commemoratur in eadem Rubrica, quae in Pandectis eſt vox, in Codice non invenitur;* Qua notitia uſus, complura vetera documenta, illum loquendi modum uſurpantia collegi meo inſtituto opportuna, illamque notam, quae *pag.* 41. legitur, extendi, Epiſtolam etiam Cl. Valſecchii citans, quam mihi Doctiſſimus Auctor menſe Maijo comunicaverat, antequam illam typis mandaret: ubi animadverti, omnia illa Piſanorum Statuto-

tutorum loca adduci, quae noſter Stienſis Juriſconſultus ex Pandectis deducta indicaverat, licet Valſecchius nec Jurisprudentiae ſcientiam profeſſus eſſet, nec ab ineunte aetate illis ſe ſtudijs addixiſſet; hoc uno diſcrimine intercedente, quod locum illum *de Vacua poſſeſſione* praetermiſerat, utpote ad inſtitutum non facientem, qui mihi ſive ſeriò, ſive ut illuderet, in elencho illo á noſtro Juris Profeſſore obtruſus fuerat, non quidem ad me ſcriptis allegationibus Legum, quas in Lexicis ſuis citatas ex Digeſtis viderit ut *pag.* 80. ille aſſerit, ſed ſimplici aſſertione in illo ſemifolio ſupra relatis verbis expreſſa. Et pudet me quidem etiam in legali materia Juriſconſulto potius, quam Theologo fidem imprudenter adhibuiſſe. At error hic condonandus, qui nec tantam in Juris Profeſſore inſcitiam, nec in Amico fraudem ejuſmodi fuerim ſuſpicatus.

Interim meum Opus autumno ſequenti, poſt Epiſtolae D. Valſecchii editionem, eidem Typoghrapho imprimendum committitur. Dies in longum protrahitur, & ſub dimidium Februarii proximè anteacti, ex fortuita lectione Repertorii Joannis Bertacchini, ſcrupulus mihi injicitur, annon *Vacuà poſſeſſio*, contra quàm ſcripſeram, & impreſſum jam fuerat, in Codice Juſtinianeo reipſa reperiretur; nam plures ex illo leges ad hoc propoſitum ibi relatas animadvertebam, ſed aliis occupationibus diſtractus, & neſcio qua praejudicata opinione acceptae à Juriſconſulto notitiae impeditus, leges illas in Codice ipſo recognoſcere neglexi; die autem 20. ejuſdem Menſis, cùm ſecus Bibliopolae cujuſdam (*eruditum hominem pag.* 80. Tanuccius vocat) officinam tranſirem, Doctos Viros cum Adverſario noſtro

ſtro ibi conſidere vidi. Subſtiti et ego tantiſper, Collegas ſalutans: a quibus interrogatus de noſtri Operis editione, num, & quando abſoluta ſperari poſſet? Ego magna ex parte impreſſum eſse renunciavi, at multum adhuc ſupereſſe imprimendum; & cum menti obverſaretur ſcrupulus de *Vacua poſſeſſione*, doctos eoſdem Viros, ut occaſio ferebat, interrogavi, verène à Codice illa phraſis abeſſet, ut mihi aſſertum antea fuerat [verum Auctorem ejus falſae aſſertionis non nominabam, ſeu quia praeſens erat, ſeu quia ex diuturno tempore, quo illa opinione imbutus fueram, ipſius Auctoris non recordabar] Uno ore fatebantur omnes, illam in Codice paſſim haberi, & ipſemet Adverſarius id confirmabat, cui pariter mente exciderat, quid mihi ea de re in ſcriptis olim tradidiſſet, ut idemmet expreſsè fatetur, *Cum haec*, inquit, *animo mihi excidiſſent*. Unde & domum reverſus, ſchedam ad me perſcripſit, non priorem aſsertionem falſam retractans, ſed veram edocens in haec verba:

Bernardo Tanucci riverisce umilmente il Reverendiſſimo P. Abate Grandi, e ardiſce dire a S. S. Reverendiſſima, come alla prima apertura del Codice nella l. 2. C. de adqu. & retin. poſſeſ. ha trovato il modo di dire vacuam peſseſſionem, *e promettendoſi di trovare altri paſſi, prende intanto queſta occaſione di portare i ſuoi oſſequij a S. S. Reverendiſſima, e di nuovo le fa divotiſſima riverenza.*

Di Caſa 20. *Febrajo* 1727.

28.

Praeter hanc *legem ſecundam C. de adquir: & retin poſſ.* ab ipſo mihi unicè indicatam, etiam reliquas 3. & 7. *eod tit.* inveni, ac citavi, & poſtmodum etiam *l.* 12. *C. de fide Inſtr. & l.* 11. *C. Unde-*

vi,

vi, atque alias animadverti. Cum ergo ut lapsui, qui mihi *pag.* 41. exciderat, occurrerem in Addendis, & Emendandis posuerim *pag.* 267. verba illa: *sed cum haec scriberemus cuidam Jurisconsulto, qui eam phrasim in Digestis dumtaxat a se deprehensam fidenter jactabat, absque ulteriori examine, fidem imprudenter habuimus; sed ne Peritorum quidem testimonio standum esse didicimus, ac propriis oculis recognoscenda esse quaecunque asserere volumus ut indubitata:* nil, nili quod res erat, candidè, & bona fide retulisse me video, nec scio quam justae querelae causam Adversario dederim, cujus nomini prorsus peperci, ne quid ejus gloriae, & honori detraherem.

Aliter autem rem narrat Obtrectator noster *pag.* 80. inquiens: *Ego, cui hoc non maximi erat, animadverti in Statutis Pisanis aliquando vacuam possessionem dici, quam locutionem, cum mihi latina admodum videretur, suspicatus sum a Codice abesse; Lexica nostra, quae mihi erant ad manus, adij, & ejus locutionis exempla omnia ex Digestis esse comperi, itaque exscripsi illa, & ad Grandium misi. Haud longo postea tempore, cum haec animo excidissent, convenimus in Bibliotheca Francisci Gaddii eruditi hominis, ego, Reverendiss. Grandius, alii praeterea nobiles, & sapientes Viri: iterum de vacua illa possessione sermo incidit, & mihi rem consideranti diligentius, in mentem venit, locutionem illam in Codice Justinianeo esse. Quamobrem cum domum redissem, coram luculentissimo teste, quem bonis omnibus generis nobilitas morum integritas, & studium bonarum artium omnium commendant, de Codice capita, seu leges tres mea manu descriptas ad Reverendiss. Grandium bona fide misi, quemadmodum de Digestis Capita miseram.* Haec Adversarius, in cujus nar-

narratione primò illud admiratione dignum occurrit, cur hoc duarum vocum complexum *vacua poſſeſſio* tam exquiſitae latinitatis odorem ipſi retulerit? Non enim majorem latinitatem olere videtur, quam *vacua venditio*, quae phraſis in Longobardicis legibus Liutprandi Regis habetur *lib.* 4. §. 4. ibi: *& ſi aliter fecerit, ſit ipſa venditio vacua.* Secundò, & ſi latiniſſimus eſset ille dicendi modus, cur in Codice Juſtiniani reperiri non poterat? Leges a varijs Imperatoribus conditae, atque ab Juſtiniano collectae, an tam luteo ſermone conſcriptae dici debent, ut ne dimidiam quidem lineam probae latinitatis continere queant? Atqui veteres ijdem Juriſconſulti, qui ſententias ſuas in Digeſtis á Juſtiniano comprehenſas, cultiori latina lingua expreſſerant, Imperatorum quoque ſanctiones Codice incluſas eodem ſtylo digeſſerunt. Lexica veró quae conſuluit, unius Io. Calvini fuiſse puto, non etiam illud Alexandri Scotti, nec aliud Pardulfi Pratei; uti nec Bertacchini Repertorium volutarit, nec ad Indicem ipſiuſmet Codicis oculos converterit: vacuam enim poſſeſſionem in Codicis legibus expreſsam hiſce indicijs animadvertere potuiſset, niſi, quam mihi exprobrat negligentiam, prior ipſe, & quidem in re ad ſui muneris exercitium pertinente, peccaſset. Porrò quod mihi ſcripſerit illa Digeſtorum loca, falſum eſt penitus; neque id ego ab ipſo petieram aliquando, ut id laboris in ſe ſuſciperet. Unicè ſcripſit ea decretoria verba ſupra relata, ſcilicet: *quae in Pandectis eſt vox, in Codice non invenitur.* Neque ſaltem, ubi errorem ſuum agnovit, me *ſtatim* monere, atque a lapſu revocare curavit, ſed poſt decem circiter menſes [qui *non longum tempus* conſtituere ipſi hac in

re

re videntur] cùm contigisset, me ab illo, & aliis Collegis de mei Opers iterata editione, ac vicissim illos á me de *vacuae possessionis* scrupulo mihi inhaerente interrogari, tandem omnibus una voce veritatem fatentibus, & ipse locutionem illam in Codice Justinianeo esse consensit, & unicam [non tres leges] exinde mihi in schedula obtulit: perpetuum ea de re silentium utique servaturus, meque in errore ipso, quo nimis credulum imbuerat, relicturus, nisi ea se obtulisset occasio, iterum de hac quaestione, illo praesente, cum alijs Doctis Viris sermonem instituendi. Haec praeclara illa mecum honestè, & candidè agendi ratio, quam si a dolo malo purgaveris, ab ignorantiae supinae macula, Professorio muneri parum decora, emundare non poteris; unde satius fuit in vagum illud *Jurisconsulti* nomen culpam omnem reijcere; nostroque Advetsario consultius fuerat sub ea larva latere, quam in scenam prodire, ac se omnibus extibilandum proponere.

Exclamat tamen ille *pag.* 18. quod non illū aequè ac me excusandum susceperim: *non me*, inquit, *quem primum debuerat, de Thaide istbac purgavit, imò culpam omnem in me transtulit*. At cur ipsum purgarem, quem nusquam nominaveram? Et quomodo in illum hanc culpam transtuli, cùm quemdam *Jurisconsultum* mihi labendi occasionem dedisse asserui? An, ut *Oratoris* nomine *Cicero*, sic *Jurisconsulti* appellatione *Bernardus Tanuccius* per antho omasiam intelligi debet? Quid de *Thaide* loquatur, non moror: ab illa se ipse purget. Stultum est non vocanti respondere: nomine autem *Jurisconsulti* non magis *Iabeo*, quam *Javolenus* ejus epitomator, aut *Neraccius turbandus* intelligi potest; & qui secus

accipiat, sibique applicet, nae ille, ut *ferm. lib.* 1. *Satyra* 3. Horatius ait

Labeone insanior inter
Sanos dicatur.

Verùm ille fingit, saepe me *Florentiae in conventibus Doctorum hominum ejus nomen non reticuisse, & qui duas*, inquit, *a me Epistolas acceperit, quarum altera, quod mihi imprudenti acciderat, altera ejus mutatio comprehenditur, primam illam ubique ostentat, alteram omnes celat.* Falsa haec omnia sunt, ac penitus conficta: imò nemini, antequam ipsum contra me scribere intelligerem, nemini, inquam, vel familiarissimo, vel amicissimo de hac re sum loquutus: sed etiam à multis, post editionem operis mei, interrogatus, quis ille *Jurisconsultus* esset, cujus vel insciti, vel versutia mihi tam turpiter illusisset, ut Adversarij, & Collegae honorem sartum, tectumque servarem, humeros sursum adduxi, reponens, nihil ipsorum interesse, quis ille fuerit, ac posse interrogationi supersedere; neque palam, neque in aurem, sive Florentiae, sive alibi constitutus, ulli mortalium ejus nomen prodere volui, ne in leges charitatis, & honestatis peccarem. Ut Clarissimi Viri, & Jurisconsulti Joseph Averanius, & Abbas Salvatorius, atque alij testari uberrimè possunt.

Sed postquam Florentiae rumor percrebuit, Bernardum Tanuccium de me conqueri, & in me libellum conscribere, suspicati sunt multi, idque aliquo indicio confirmatū est, ipsū reverà hoc loco designari, arbitrati illum inde mei operis carpendi occasionem sumere, ac negare, se mihi tale quid unquam asseruisse, quod illi tribuebam ad lapsum meum excusandum: neque enim prudentes Viri in animum

mum suum induxissent, ipsum suae ipsius Famae tam parum velle consulere, ut suam ultrò ignorantiam proderet, quae latebat; neque ego id suspicabar, sed fortè oblitum eorum, quae ante duos ferè annos mihi in scriptis tradiderat, & asseruerat, existimaveram illum negaturum, tale quid unquam á se assertum fuisse, quod mihi errandi occasionem dederit, ac de calumnia fortasse sibi illata expostulaturum. Id in causa fuit, cur nonnullis affirmarim, manu ipsius descriptam esse fallacem illam notitiam, atque adeò locorum illorum ex Pisanis statutis ad Pandectas collatis elenchum [non *Epistolam*, cujusmodi nullam ab ipso accepi huc pertinentem, praeter schedulam supra descriptam] quibusdā ostenderem, nequis me gratis finxisse putaret quod in mei erroris excusationem attuleram.

Neque verò dissimulavi, errorem ipsum postea ab ipsomet cognitum, sed rem, ut gesta fuerat, bona fide narravi, non importuna loquacitate bibliothecas, & doctorum hominum diversoria implens [quod mei moris non est] sed data opportunitate de his interrogatus; imò & ipsam Adversarij Schedam, ubi primùm inter Adversaria latentem reperire potui, palam produxi, & eorum, qui haec cognoscere cupiebant, oculis, cum praedicto locorum elencho, subieci; itaque falsa relatione deceptus, me ex duabus, Epistolis, alterā tantum qua error contineretur, ostendisse, alteram, qua correctio includebatur, dissimulasse, inani opera conqueritur.

Quo circa grates mihi ab illo habendae hac in re fuerant, tum quod de falsa notitia mihi ab ipso obtrusa numquam sermonem instituere cum ullo Amicorum voluerim, quamdiu patientiam meam non lacessivit, calamum contra me exacuens, a quo

nulla umquam in re, nec factis, nec verbis ullatenus lacſus fuerat; tum quod allato mei Operis loco ita me excuſatum voluerim, ut ejus tamen, a quo in errorem inductus fueram, nomini parcerem; id quod etiam honoris Academiae noſtrae intuitu a me factum eſt, ne ejus publici Juris Profeſſores tantae inſcitiae à quoquam redargui poſſent. At ille, qua eſt vecordia, ſuas ipſe ignominias detexit, ſeque praeclarum illum *Juriſconſultum* eſſe, qui toties in Codice phraſim uſurpatam, ac in Bertacchini Repertorio in Lexicis Prateij, & Scotti, ac in Codicis Indice indicatam, ignoravit, ſicque pudenda ſua palam omnibus publicare non erubuit, Salmaſianae illi Simiae, velut *Bertuccius Darnanus*, propemodum ſimilis, cujus fabulam affabrè deſcriptam Petavio dudum, Lydiato, Scioppio, Garaſſio, alijſque applicatam, hoc loco afferre non gravabor, ad taedium permoleſtae hujus tractationis ſublevandum. Sic illa ſe habet apud Menagium in libro *Modi di dire Italiani pag.* 29.

Cum depilatis natibus, & facie improba,
Malaque mente, monſtrum Cercopithecium
Miros ſe ludos oſtenſurum dixerat
Non ante viſos, & diem condixerat;
Conveniunt omnes Cercopitheci Simiae:
Clurinae pecudes; omne genus Cercopium:
Quae ſunt Caudatae: quae ſine caudis ambulant:
Similes hominibus beſtiae turpiſſimae.
Tunc Simiorum coetus cum eſſet maximus,
Erat inter illos ingens expectatio,
Quidnam editurus, & miri, & novi foret
Tam Grandium minator *ille Simius.*
Ergo ut promiſſis faceret, & dictis fidem,
Proceram cum legiſſet in campo arborem,

Quam

Quam vidit unam celſiorem caeteris,
Hanc ſubito aſcenſu aggreſſus petere protinus,
Altum arrependo ut arriperet faſtigium,
Sperans ſe & Coelum poſſe ſic contendere;
Verùm cum magno niſu, magnis viribus,
Sudans, laborans, aeſtuans, ut ſcanderet,
Summum ad cacumen cum veniſſet arboris,
Ac ſe videret non poſſe ultra progredi,
Culum *oſtentare coepit, & turpes* nates,
Deriſuique ſpectatoribus fuit.

Digitized by Google

VINDICIARUM

PARS TERTIA

CAPUT I.

De Contradictionibus, & Novitatis Studio mihi affi&o.

PRaeter criminationes, quibus me in ipſum peccaſſe contendit, ac praeter errores praetenſos in Epiſtola mea, necnon repetitam ſaepius negligentiae, & oſcitantiae notā mihi impactam, variarum etiam contradictionum arguere me conatur Adverſarius *pag.* 86. quod opinionem referens Donati Aſtenſis de Legibus Digeſtorum ante Direptionem Amalphitanam in Italia vigentibus, fatear id mihi [& puto pleriſque alijs, ipſique etiam Adverſario, cum primùm haec legeret] novum viſum fuiſſe, quia ſolas Inſtitutiones Juſtiniani, ac peculiaria Imperatorum ſtatuta in Codice comprehenſa dudum allegari animadverteram, non item Pandectas ipſas, quarum fortaſſe antiquiorem ſub hoc ipſo nomine mentionem in Petro Bleſenſi occurrere notaveram, etſi aliquas Pandectarum Leges ab Juone,

&c

& Gratiano referri concederem, quas non certum indicium totius Operis Digestorum tunc apud illos extantis esse contendebam, & adhuc contendo: cùm ex aliqua Digestorum lacinia, vel fragmentis Veterum Jurisconsultorum (quorum libros, & omnia eorum exemplaria, quotquot in Romano erant Imperio, incensa Justiniani jussu ubique fuisse, non est verosimile) leges illas habere potuerint.

Postmodum, ut a Justiniano missas in Italiam Pandectas, contra quosdam dissentientes, evincerem, ejusdem Imperatoris Justiniani Pragmaticam Constitutionem id asseverantem produxi, & Pauli Diaconi testimonium addidi, editionem Muratorij laudans, ut certam *lib.* 1. *& cap.* 25. citationem haberem, quae an eadem esset apud Donatum Astensem ignorabam, (cùm eo libello paucis tantum diebus uti licuerit) certè in alia editione Basileana Frobenij anni 1532. quam in mea Bibliotheca dudum habebam, respondebant ea verba *lib.* 1. *cap.* 17. non 25. itaque cessat prava suspicio de me ab Adversario concepta *pag.* 89. ubi ait: *Et ut nobis imponat Reverendiss. Grandus, Paulum Diaconum non ex Astensi affert, sed editionem Muratorii commemorat;* ratus nimirum, me dissimulare fontem, ex quo notitiam illam habuerim; nam & sub initium opusculi sui *pag.* 4. me plagii latenter insimulat, referens me Epistolam priorem edidisse varijs notitijs auctam *magna ex parte ex Donato Astensi promptis, cujus uterque liber est huc omnino traductus;* quasi verò non illum expressè citassem *Notarum num.* 5. ibi: *datum est postmodum, ut eruditissimi Viri* (Donati Astensis) *Tractatum pervolutarem, ex quo nonnulla instituto meo cohaerentia delibare, aljsque meis observationibus munire non praetermittam, praesertim cum varisfima*

ſima prodiiſſe doctiſſimi ejus Operis exemplaria intelligam. Et paſſim alibi, nempe *pag.* 52. 70. 82. 218.

Atque hic obiter noto ſimiliter vana ſuſpicione Adverſarium *pag.* 87. hariolari, me illam Petri Bleſenſis auctoritatem *Vides quam immeabile pelagus ſit Pandectæ &c.* ex Gloſſario Domini Du Cange derivaſſe, & ideò ita truncam, ut ibi legitur, à me allegari, omiſsis ſex verbis poſt primum interpoſitis: quaſi verò non didiciſsem ab ipſomet Du Cange verba aliqua illi textui interponenda, cum ita illum locum in ſuo Gloſsario expreſserit *Vides —— quam immeabile &c* Ego verò, dum lineolam hiſce verbis infertam omiſi, ab illo non exſcripſiſse dicendus ſum, ſed data opera praeſcripta verba tranſiliſſe, utpote ad propoſitum non facientia, cum ſatis Auctoris ſenſus innoteſceret, breviori illa clauſula expoſita, quae ultimo loco erat, cum principali primo verbo *Vides* conjuncta.

Sed ad propoſitum redeo: Quaenam, oro, eſt haec repugnantia, aut diſcordia inter utramque ſententiam binis primis paragraphis hujuſce Capitis expoſitam, ut cum ſecundam ſcriberem prioris *oblitus* dici debeam ab Adverſario, & *ſaepe turpiter lapſus qui pugnantia ſaepe protulerim, & ex duobus, aut tribus libris obvia quaeque nulla convenientia compilaverim?* Annon admiſſa Pandectarum receptione in Italia, juſſu Juſtiniani, facta, non potuit nihilominus exemplarium ipſarum raritas major eſſe, quam Inſtitutionum, & Codicis, quos libros jam antea idem Imperator vulgaverat? Nonne magis deterrere Scriptores debuerat longioris illius Operis exſcribendi labor, quam brevioris? Et hoc poſito, cur non poterant Digeſtorum volumina quam pauciſſimis innoteſcere, ita ut vix Paulus Diaconus [a quo exſcri-

Digitized by Google

scripsit eam notitiam Romualdus Salernitanus] aut siquis alius adeò felix illis saeculis fuit, perspecta habere illa potuerit, sed ob infrequentiã exemplarium ab aliis passim ignorari? Quod si postmodum Lanfranci tempore Bononiam hi libri advecti sunt, aut ex angulo cujuspiam Bibliothecae educti, & hinc eos legere, & exponere coeperunt Jurisconsulti, in publicis Studijs; an ideo passim ab omnibus exscripti statim fuerunt, ut ad manus essent tam spissi Codices, quam erant Institutiones, Novellae, Autenticae Justiniani? Sed fuerint, necne Scriptorum manibus passim obtritae Pandectae, ut alij libri Juris Romani, parum refert: an ideò minus verum, tam raram aut prope nullam esse in rebus Juridicis illarum citationem apud Veteres, ante Blesensem, ut suspicari quis meritò possit, aliquas dumtaxat lacinias, aut fragmenta ipsa Jurisconsultorum, ipsos habuisse, potiusquam integra ipsa Digesta? Qui ex facilitate, qua nunc libri propagantur, ob Artem impressoriam, cujus beneficio

Imprimit una dies quantum non scribitur anno, sibi persuadet, per universam Europam statim multiplicari debuisse Pandectarum exemplaria, postquam Bononiae semel detectae fuerant, ita ut post 170. annos non jam potuerint in angulis Bibliothecarum solae ipsarum lacinae, aut fragmenta reperiri, videat, an satis cohaerenter ipse ratiocinatus sit, dum aliunde fatetur *pag.* 21. Juonis libros à se frustra quaesitos, *cum neque Pisis sint, neque Liburni, neque Lucae, in quibus urbibus Bibliothecas omnes excussit*: cum tamen ab Juonis morte jam ultra sexcentos annos effluxisse constet, & ab ejus Operum impressione primò facta Basileae anno 1499. per Sebastia-

stianum Brant ducenti ac fermè triginta anni jam numerentur: ac pro Sexto Empyrico *contra Mathematicos*, invocet Danielem Fridericum Janum *de Doctoribus Umbraticis*.

Quod autem *pag. 85.* novitatis studium mihi imputet, Lector æquus dijudicet, qua veritatis specie id opponatur homini vulgarem traditionem impugnanti ob hoc ipsum quia nova sit, ac veteribus Scriptoribus ignota, nec antiquis documentis confirmata. Huic criminationi similis plane est illa, quam *in Epist ad Pisanum Senatum*, conflandae mihi, apud Urbem hanc totam, invidiae causa, mihi affingit, causatus, me *Pisana monumenta criminatum esse*; cum imò præcipuum sententiae meae præsidium in vetustis Pisanis Chronicis, ex Benedicti Leoli domo & ex Strozziana Bibliotheca depromptis ab Ughellio, & in sua *Italia Sacra* publicatis, iterumque a Muratorio in Opere *Rerum Italicarum* editis, collocaverim. Is potius nova sectandi studio abripitur, qui recens confictam opinionem, reclamantibus vetustioribus Scriptoribus, ob novorum Auctorum, qui absque examine illam bona fide sequuti sunt, congeriem, obfirmato animo complectitur, fovet, promovere satagit. Is antiquorum monumentorum fidem sollicitat, qui nulla eorumdem ratione habita, illis contraria tueri conatur, atque a veritate auditum avertens, ad fabulas, quas fabulosis aliis immixtas fatetur, pertinaciter sectandas convertitur.

CA-

CAPUT II.

In Dempſterum, & Robertum Montenſem, & Accurſium conjecta convicia repelluntur.

QUi adeò parum verecundè Vivis inſultat, Mortuus non magis aequum ſe praebet Adverſarius; nam Dempſterum noſtrae hujus Academiae in Pandectis interpretandis Anteceſſorem celeberrimum, de Romanis Antiquitatibus, deque Hetruriae noſtrae Monumentis, ac de Patriae ſuae Hiſtoria optime meritum, *haud abſimilem Annio fuiſſe Impoſtorem, nec minùs quam Robertus Montenſis fuerit, bibulum ineptiarum potatorem* aſſerit *pag.* 66. additque de eodem Roberto Montenſi *pag.* 67. ſuſpicari ſe, *illum laudem inſtauratae Juriſprudentiae in ſuum Corpus, cui Lanfrancus adſcriptus erat, minus verè contuliſſe*, & illum infra *ineptiarum plenum* vocare audet, poſtquam ex Struvio nonnulla in ejus vituperationem, majori tamen moderatione ſcripta, indicaverat.

Quod attinet ad Dempſterum, miror haec in ejus ignominiam, citram ullum propoſitum, ab Adverſario tam impudenter vulgari: niſi forte occaſionem ſumpſit ab inſigni ejus Opere nuper Florentiae vulgato *De Hetruriâ Regali*, in cujus Praefatione Auctoris laudes cumulatae ab invidis ejus oculis indignationis lacrymas expreſſerint. *Hunc autem Dempſterum*, inquit Editor, *eundem eſſe ſcias, qui & aliis ſimilis argumenti operibus ſatis nobile in Republica Litteraria nomen ſibi comparavit: qui in Academiis Tornacenſi, Toloſana, Pariſienſi, Piſana, Bononienſi, nec eaſdem ſemper Scientias docendo, multiplici lau-*

ci laude per Europam claruit: qui innumeros fere libros conscripsit, omni genea eruditione refertissimos, quorum Catalogum Joannes Nicolaus Pasqualius Alidosius retulit &c. Elenchus autem ejus librorum ultra quadraginta duos varii generis Tractatus complectatur. Illum ita indefessum in legendo fuisse tradunt Matthaeus Pergrinus, & Thobias Magirius, *ut XIV. diei horas in librorum lectione continuare soleret.* De ejus ingenio ac memoriae vi idem Magirius haec tradit. *Mentis acumine satis valuit, sed memoriae tenacitate longè plurimum, adeo ut multoties diceret, ignorare se quid sit oblivio. Nihil adeò abditum in antiquitatis monumentis, cujus non meminisset; ita ut Fr. Cospius, vir in litteris omni comparatione major, Dempsterum magnam Bibliothecam loquentem compellare consueverit.* Et hunc Doctissimum, atque Eruditissimum Virum, nostrae inprimis, ac tot aliarum Academiarum jubar eximium, tam paterni, quam materni Stemmatis nobilitate summis Britanniae Dynastis conjunctissimum, audeat Stiensis Doctor traducere, quod in tanta rerum ab ipso scriptarum varietate pauca quaedam illius calamo exciderint, non satis accuratè expensa, aut parum solidè confirmata? Ubinam gentium sumus!

Venio ad Robertum nostrum de Torinejo *Montensem* appellatum Monasterii S. Michaelis in periculo Maris, sive in Monte dicti Abbatem. Is ab Oudino *De Script. Eccles. tom.* 2. dici meruit *Vir litterarum avidus, ob doctrinam multimodam, ac pertinacem in studis assiduitatem, saeculo suo clarus evasit, maximè ob historiae domesticae, ac patriae cognitionem, & postea ob notas mentis dotes, factus Prior Monasterii Beccensis in Normania, tandemque electus*

Coe-

Coenobii S. Michaelis in periculo Maris, ſive de Monte Abbas, quod anno 1154. ſexto Calendas Junii contigit. Et infra. *Vir genere, genio, & virtute clarus*; adeo ut ab Alexandro III. Papa ſpeciali mandato juſſus fuerit Turonenſi Concilio intereſſe. Henricus Huntingtonienſis *in Epiſt. ad Varinum*, Robertum noſtrum vocat, *tam Divinorum, quam ſaecularium librorum Inquiſitorem, & Coacervatorem Studioſiſſimum*. denique, ut ait idem Oudinus, Robertus noſter *Vir meritorum plenus, ac laborioſus, poſt XXXII. annos ab electione, meliorem vitam ingreditur anno 1186. die 24. Junij, cujus laudes Stephanus Rodonenſis Epiſcopus carmine celebravit*. Hunc ergo tantum Virum doctiſſimum aequé, ac Religioſiſſimum audeat quis turpis aſſentationis macula aſpergere, & abſque ullo fundamento velut impoſtorem traducere? Huic Grancii tenebras, huic Gryphiana commenta opponere, vel etiam comparare?

At Scriptor hic Gallus erat, *ac praeter res Anglicas, & Gallicas, quae illis temporibus conjunctiſſimae erant, alias ignorabat*. Quae ignoravit, ſuae Chronologiae non inſerviit: at quae ipſe in ſua commentaria retulit certis fundamentis illi explorata fuiſſe, non eſt dubitandum. Praeſertim verò quae de B. *Lanfranco* narrat illi compertiſſima eſſe debuerant, cum Lanfranchus ille in eodem Beccenſi Monaſterio eundem Prioris Clauſtralis gradum tenuerit, & Roberti ipſius tempore Lanfrancus alius B. Lanfranchi Nepos, in eodem Monaſterio, ac ſub eadem diſciplina Deo militaret, ut in ea Epiſtola *num.* 12. animadverti: quippe nec hallucinari in hac re poterat Robertus, nec nos conſultò decipere, quando à Nepote ſuperſtite, ac praeſente de veris Pa-

tri ui

trui actis instrui, de falsis redargui facilè poterat.

Quod autem addit Adversarius, Robertum de Monte inter Rerum Germanicarū Scriptores *Tom.* 2. editum, á Struvio quoque ut *Scriptorem sine judicio* culpari, utique *nubem pro Junone* ferire conatur; Qui enim ibi editus habetur non est Syncerus Robertus Montensis, sed *Pseudo-Robertus*, ut elicitur ex quo etiam facta post mortem Roberti nostri, quae anno 1186. reverà contigit, occurrentia ibidem notentur. Germanam autem Appendicem ad Sigeberti Chronicon, ut Mabillonius, Dupinius, Oudinus, aliique tradunt, & ego *ad Notam* 13. animadverti, a Roberto nostro Montensi conscriptam, ex authographo ipsius Monasterii S. Michaelis de Monte prior edidit Cl. D. Lucas Dacherius cum operibus Guiberti Abbatis Novigentini: Et in hac Appendice, non in illa Spuria reperitur, quod Lanfranchus, repertis apud Bononiam Legibus Romanis Justiniani Imperatoris, eas cum Socio Garnerio legere, & explanare aggressus fuerit.

Verùm ne suis quidem primariis Auctoribus parcit noster Obtrectator, sed Accursium Glossatorem accusat *pag.* 64 quod *vanum somnium* adjunxerit *ad legem* 2. §. *exactis ff. de orig. juris* de Graeco illo nutibus loquente cum Romano; nec veretur ejusmodi traditionem, multo antiquorem illa, quae favet derivationi Pandectarum ex Amalphi, & in Auctore magni nominis expressam, & in authenticis Digestorum Glossis propemodum consecraram, absque ulla prorsus ratione, quae illi contrarium persuadere possit, arrodere, ac fabulosam pro suo arbitrio traducere, ut tantum Virum commaculet, qualis Accursius fuit, qui omnibus Interpretibus auctoritate ita praestitit, ut Celeberrimus J. C. Cinus

Pi-

Pistorienſis illum *Advocatorum Idolum* appellare non dubitaverit, ut refert Guido Pancirolus *de Clar. Leg. Interpr. lib. 2. cap. 29.* Valentinus autem Forſterus *in Hiſt. Jur. Civil. lib. 3. cap. 2.* hoc illum Elogio condecorat. *Tanta fuit ejus authoritas, ut cum Bononiae tum duae ejus artis factiones eſſent (quidam enim Bulgarum, quidam Martinum Goſiam, dudum vita functos, ſequebuntur) ipſe fama ſcientiae utramque facilem ad ſuam Scolam pertraheret. Ad hoc verò eruditionis culmen, & faſtigium pervenit, quòd acri praeditus ingenio, & quod omnibus aliis diſciplinis, ante quam Juris cognitioni ſe dederet, inſtructus acceſſerat: tum denique quod in Reipublicae gubernatione longo tempore verſatus erat.* De eodem Barthius *animadv. ad Claudian. in Ruffin lib. 2. V. 85.* ſic habet: *Accurſius Gloſſatorum veterum Coriphaeus, homo ingenii prorſus ſtupendi, qui in tantis diſciplinarum tenebris ipſum diſciplinarum diſciplinam accuratiſſime intellexit.* Et Raphael Fulgoſius *in l. Si in ſolutum C. de action. & oblig.* Gloſſatoris hujus auctoritatem praeferendam plurium Doctorum auctoritati cenſet: imo Textuum ipſorum ſententiae anteponere audet: *Si ſententia Gloſſatoris duobus Doctoribus eſt contraria, profectò in judicis praevaleret ſententia ipſius Gloſſae ---- Volo enim potius pro me Gloſſatorem, quam Textum; nam ſi allego Textum, dicunt Advocati diverſae partis, & etiam Judices: Credis tu, quod Gloſſa, non ita viderit illum Textum, ſicut tu, & non ita bene intellexerit, ſicut tu?* Et tamen noſtro Stienſi Juriſconſulto tantus Juris interpres, tanti nominis, & auctoritatis Doctor, mera, & vana ſomnia effutire, & fabuloſis narrationibus ſuas gloſſas, cum Corpore Juris conjunctas, conſpurcare voluiſſe viſus eſt. Quales in me Tragedias excitaſſet Adverſarius,

sius, si tale quid ipse attentassem? At ejus morsibus omnia patere debent: mihi vel historiolam, ante paucos annos ab otioso homine confictam, ad examen vocare penitus interdicitur.

CAPUT III.

De Ivonis Carnotensis Decreto mihi obiecto.

DUm haec sub proelo essent, afferuntur Paralipomena quaedam Tanucciano libello addenda. In his illud unum responsione aliqua dignum reperio, quod ex Juonis Decreto mihi obiicitur; Nam ex hoc 37. loca enumerat Adversarius, Pandectarum leges varias, in subsidium Canonici Juris, afferentia; Itaque, ut supra ex Canonibus Gratiani longum indicem Justinianearum legum, ab ipso, ut putat, in suam collectionem adscitarum collegit, mihique opposuit, ita nunc ex Ivonis Decreto Elenchum duas paginas implentem ostentat, ut meam jugulet opinionem, et ex dubia, & ancipiti, qualem proposui, certó falsam apud Amicos, & Patronos suos, aliosque ejus verbositati auscultantes, evincere conetur: sed incassum laborat; nam sive quae opponit vera sint, sive falsa, perinde est. Habuerit Jvo *totarum*, ut ipse ait, *Pandectarum* notitiam. Illam ab ejus Magistro Lanfranco hauserit: atque hinc confirmabitur mea sententia ex Roberto Montensi deducta, quod reipsa Lanfrancus noster Leges has Bononiae repertas primus explicaverit; Unde *in Notis* mei Operis *pag.* 49. sic scripsi: *Sed quid tandem sentiendum hac de re putet aequus, & prudens Lector, nolim ego longiorem de voce ejusmodi finem con-*

contentionis protrahere: nec verò valde attinet ad institutum nostrum, an hoc, vel illo vocabulo Justiniani leges commemoratae inveniantur saeculo XI. & XII. Imò potius nostrae sententiae de Pandectis ante saeculum XI. jam repertis, & a B. Lanfranco primùm Bononiae explicatis aptius conducit, si ab Ivone Lanfranci discipulo sub eodem Pandectarum nomine commemoratae fuerint, atque ab aliis coaevis Scriptoribus, aut ab eo saeculo minus remotis. Sed & ultro fateor [id quod hypothesi meae nullatenus repugnat, nam Legum ipsarum apud Bononiam inventio saeculo XI. à me asserta, non illas è Coelo delapsas, aut è Graecia, ubi jam diù, post Basilicorum editionem, in desuetudinem abierant, in Italiam tum repente asportatas, sed ex aliqua Bibliotheca, vel proxima, vel remotiori, occidentalis tamen Imperii, ab eo qui tantum Thesaurum primus detexit, ac justo in pretio habuit, tunc recens allatas supponit] negari non posse, quin etiam ante saeculum XI. aliquae saltem Legum in Digestis contentarum laciniae (aut etiam tota fortasse illarum collectio) quibusdam Auctoribus innotuerint; Nam Agobardus, qui ab anno 816. Lugdunensis Archiepiscopus sedebat, in Libro De Dispensatione Ecclesiasticarum rerum cap. 18 *furtum de publico Aerario inter majores reatus enumerans, ait.* Quod et leges saeculi sacrilegium vocaverunt: *procul dubio textum designans, qui in Pandectis occurrit* l. 9. ff. ad leg. Jul. peculatus. *Itaque si quis contendat, integra ipsa Digesta, vel in Italia, vel in Gallia dudum antea in alicujus Bibliothecae pluteo extitisse, non quidem passim nota, ut Codex, & Novellae, atque Institutiones, ob majorem raritatem, minusque frequentem illorum usum, aliquibus tamen Scriptoribus, quibus magis accurata fuerit in ejusmodi Caesarei Juris monumentis indagandis dili-*

gentia, aut qui forte fortuna in illorum exemplar aliquod incuderint, non penitus iguata, ego admodum non repugnabo.

Haec eo loci, licet, per impreſſoris incuriam, ultima tria verba praetermiſsa fuerint, ſenſu interrupto manente. Hic autem per extenſum adducere volui, ut quae mea foret hac de re ſententia aequis Lectoribus innoteſcat; & quàm pueriliter Adverſarius, ut in me debacchandi anſam arripiat, quae obiter, & ex incidenti per modum inquirentis, ac dubitantis expoſui, longa inquiſitione refutare, atque exſibilare aggreditur, & repetitis ad nauſeam cavillationibus impugnare: quod perinde eſt, ac ſi latè patentis, & ampliſſimè extenſi pallii tenuem fimbriam rabidus Canis arrodere nitatur. Quae tamen Cavillationes intentum ſuum nequaquam evincunt, cùm expreſſa totius Libri *Pandectarū* mentio ab Ivone facta non oſtendatur, quotquot ejus leges ſparsī citaverit (ſi tamen ipſe citavit, & non adjectae ſint poſteriori manu, ut poſtmodum oſtendam) non magis quam *Infortiati* explicitam ſub hoc vocabulo mentionem feciſſe contendi poſſit Petrus Bleſenſis, quia *Epiſt.* 26. ſupra citata *pag.* 8. [fatente ipſomet Adverſario *pag.* 88.] mentionem habeat tituli *De Uſu, & Uſufructu legato*, qui in illa Digeſtorum parte continetur, alludens ad legem *Infructu* 42. *ff. eod. tit.* quam *ex poſterioribus Labeonis* Javolenus recitat *lib.* 5. nec non *Epiſt.* 128. citet legem *ex Imperfecto* 23. *de legat. & fideicommiſs.* ex eadem Digeſtorum parte deſumptam.

Sed jam ad Juonem revertor, ut obiectionis infirmitas magis eluceſcat. Duplex Canonum collectio illi tribuitur, altera contractior, quae *Panormia* (nonnullis *Pannomia*) dicitur, in octo partes diſtri-

distributa : altera prolixior, quae *Decreti* nomine intelligitur, XVII. partes complectens. Utrique eadem Praefatio praefixa est ; quod indicat, aut primam Collectionem esse compendium secundae, aut secundam esse ex prioris interpolatione, atque amplificatione enatam. Acriter contendit Gerardus Maestrichtius in *Hist. Jur. Eccl. num.* 267. 268. 269. Panormiam esse cujusdam Hugonis Catalaunensis, cui sanè Vincentius Belvacensis *lib.* 25. *Spec. histor. cap.* 84. nescio quam Summam Decretorum Jvonis attribuit, Et verò Decreta Innocentii II. qui aliquot, post Ivonis obitum, annis ad Pontificatum evectus est, illi operi adiecta, non ad Ivonem pertinere, sed alterum Auctorem agnoscere debere persuadent. His tamen non obstantibus, Opus illud Ivonis genuinam prolem tuentur Antonius Augustinus *de emend. Gratiani lib.* 2. *dial.* 5. Dupinius *Nouvel. Biblioth. tom* 9. Natalis Alex. *in append. dissert.* 21. *saec.* 1. Stephanus Baluzius *in praef. ad editionem Anton Aug.* Casimirus Oudinus *De Script. Eccles. tom* 2. Guglielmus Cave *in Hist. litter.* aliique ; Nam in Bibliotheca S. Victoris apud Parisios Codicem cum inscriptione *Panormia Ivonis*, reperiri asserunt, qui aetate praefati Hugonis Catalaunensis antiquior sit, & in tribus aliis vetustissimis Codicibus S. Albini Andegavensis eundem titulum reperiri ; adeoque compositum ab Hugone illo Compendium Canonum aliud quid esse à Panormia Ivonis, in cujus calce non legantur ea Innocentii II. Decreta in praeallegatis antiquis Codicibus, sed posteriori manu addita in quibusdam exemplaribus fuisse, & in recentioribus editionibus addita, quae in antiquiori aberant : quibus positis, in ea quidem sententia sunt laudati Auctores, tam Panormiam,

Digitized by Google

quam Decretum Ivonem Auctorem habere, sed illam primò compositam, deinde hoc aliud decretorum opus prolixius eum aggressum esse, prospero primi illius successu animatum.

Verùm hac in re illis ut assentiar non permittunt ea, quae mox erunt consideranda. Primo enim Auctores veteres, qui de Scriptis Ivonis testimonium ferunt, non duas, sed unam Canonum Collectionem ab eo factam prodidere; Nam Sigebertus Gemblacensis, qui eadem aetate floruit, de Ivone ait. *Composuit insigne volumen Canonum*. Radulphus de Diceto, qui sequenti saeculo vixit, ad annum 1090. scribit *Ivo Carnotensis Episcopus Regularum excerptiones* (sive *exceptiones*, ut alii legunt) *Ecclesiasticarum in unum Corpus adunavit*. Trithemius Abbas de Ivone inter scriptores Ecclesiasticos ita loquitur: *Scripsit post Burkardum Vormacienſem Epiſcopum ex Canonibus Sanctorum Compendioſum Decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Juriſtae, quod praenominavit Panormiam*. Sola ergo Panormia ut legitimus Ivonis foetus haberi potest, Decretum verò aliud prolixius aliquem alium Interpolatorem, & Amplificatorem Operis agnoscere debet Auctorem. Secundo. Si Ivo post Panormiam aliud Decretorum opus aggressus esset, non eandem ipsi verbo tenus Praefationem, qua in Panormia usus erat, adiecisset, sed aliam prolixiori illi operi congruentem adornasset: cum enim in illa narret, quibus ex fontibus suas excerptiones Ecclesiasticarum Regularum collegisset, monere non praetermisisset, jam ex aliis locis velle se in hoc novo Opere ampliorem ejusmodi Regularum excerptionem dare; frustra igitur contendunt, tale Decretorum Opus, ut genuinum Ivonis partum nobis obtrudere.

Ter-

Digitized by Google

Tertio, ut Baluzius praelaudatus fatetur, huic Operi, *quod vulgo vocatur Decretum Ivonis, in vetustissimo Codice Manuscripto Bibliothecae S. Victoris Parisiensis nullus titulus in fronte extat, neque nomen Auctoris, sed in fine libri haec tantum scripta sunt: EXPLICIT LIBER CANONUM; & mox in sequenti folio, alia manu multo recentiore: LIBER CANONUM superscriptus DECRETA JOVINIANI, quem composuit Ivo quondam Carnotensis Episcopus, & continet decem et septem partes principales.* Haec Baluzius, qui eundem Codicem visum refert ab Antonio Contio, qui in sua Praefatione ad Gratiani editionem ita de Ivone loquitur, ejusque Decretorum Collectionibus. *Duplex ejus volumen hoc titulo insignitum reperi, unum majus, & magnitudine sua longe excedens Gratiani volumen, quod ex Bibliotheca S. Victoris Parisiensis nobis aliquando communicatum est. Huic operi inscriptum titulum hunc inveni DECRETA JOVINIANI. Verùm hanc inscriptionem falsam puto, & ignorantia Librariorum adscriptam: cum eadem illic sit Praefatio, quae apud Ivonem in minori volumine Pannomiae, & idem ferè ordo: nisi quod illud volumen multo plures habeat partes, & titulos, & Canones, in XVII. quippe partes divisum.*

Denique Praefatio ab Ivone praefixa suo Decretorum Volumini, sive Panormiam, sive Decretum appelles, indicat adamussim, ut superius innui, quibus ex fontibus illa collegerit, quae suo inseruit Operi. Si ergo tot loca ex Pandectis, quot ab Adversario jactantur, suae Collectioni hic Auctor inclusisset, ex illis utique se multa excerpsisse in Praefatione eadem commemorasset. Audiamus ergo ipsummet ibi loquentem, atque ejusdem judicio

Causa

Causa haec determinetur, sive Mihi, sive Adversario propitia futura sit ejus sententia. Ait ergo: *Excerptiones Ecclesiasticarum Regularum, partim ex Epistolis Romanorum Pontificum, partim ex Gestis Conciliorum Catholicorum Episcoporum, partim ex Tractatibus Orthodoxorum Patrum, partim ex Institutionibus Catholicorum Regum, nonnullo labore in unum corpus adunare curavi: ut qui scripta illa, ex quibus ista excerpta sunt, ad manum habere non poterit, hinc saltem accipiat quod ad commodam Causae suae valere perspexerit.* Ubinam hic *Pandectarum* expressa mentio, cum ne de *Institutionibus quidem Justiniani*, quae tunc notissimae erant, ut ex Petro Damiano probavi, Auctor hic loquatur, sed tantum de *Institutionibus Catholicorum Regum*, hoc est de *Capitularibus Regum Francorum*, aliisve *Regiis* Sanctionibus, non *Imperialibus?*

Quidquid ergo ex Pandectis huic Decreto accessit, praeter Auctoris ipsius Ivonis mentem peregrina manu adjunctum censeri merito potest, ac debet; atque ita in fumum abit decantatus ab Adversario triumphus: neque meam sententiam ullatenus perstringunt tam multiplices Legum Imperialium allegationes ex libro illo Decreti, qui Sanctissimo Pontifici Ivoni tribuitur, deductae: quae etiamsi eidem Ivoni tribuendae forent, cum tamen, ut de Gratiano supra diximus *pag.* 20. nullae ipsarum ex ea Digestorum parte, quae *Infortiatum* dicitur, electae sint, sed una dumtaxat ex Novo Digesto, reliquae autem ex Veteri, adhuc *suspicari licet, aliquam dumtaxat lucinium, seu fragmentum Pandectarum utrique* (Ivoni, & Gratiano) *innotuisse, non verò universum Digestorum Opus*, ut in meae Epistolae Notis *pag.* 47. animadverti: ac repeti alio sensu potest,

ut *in*

ut *in Additis* habet Adversarius, quod nempe adhuc *VALEANT* illa mea verba, *quantum valere possunt*: Scilicet *non alias ab Ivone leges commemoratas esse &c.*

PERORATIO.

SEd jam has Vindicias huc perduxisse sufficiat, in quibus me ita criminationes Adversarii praecipuas arbitror depulisse, ut ab omni recriminatione, quo ad licuit, abstinuerim, juxta monitum Q. Metelli Numidici apud Aulum Gellium *lib. 6. cap. 11.* nisi si quid acerbius, ob differendi ardorem, calamo exciderit: quod penitus indictum volo. Cessandi jam, seu respirandi potius, tempus instat: non quia materia desit, nec quia *Rus praeferam, dum bilis mota subsidat*, ut de se sub finem sui libercoli *pag. 95.* scribit Adversarius in Patriam forte fuam rediturus [nam mihi quidem non bilem, sed stomachum movit ejus libelli lectio] sed quia publica Studia repetenda jam sunt. Itaque *Vindiciarum Parti IV.* reservare cogor quae mihi Scientis Doctor de Rabularum, meram praxim sectantium, vituperatione exprobrat, ac quaedam alia minutiora meo Operi opposita, & ob festinationem hic praetermissa, quibus suo tempore facturum me satis recipio; nisi forte alius hanc provinciam occupaverit. Dum verò ille Opusculum suum magnificè claudit, dicens: *Interim omnium Jurisconsultorum vocibus Reverendiss. Grandio edico, Jurisprudentiae imperium sibi esse, animo ne praesumat, ut ad Geometriam suam abeat, illa ut se jactet in aula, cujus ipsi regnum non ego, nihil enim ejus sumo, sed eamdem docti multi tribuunt.* Quid sibi hic velit, ignorare me fateor. In argu-

argumento non Legalem Articulum, ſed Hiſtoriam, & Criticen reſpiciente, verſamur. Ne infima quidem ſubſellia inter Juriſconſultos ego mihi arrogaverim: tantum abeſt, ut *Juriſprudentiae imperium* praeſumam; Itaque ſuperfluum eſt monitum, quod *omnium Juriſconſultorum vocibus* mihi edicit: idemque invalidum, niſi *mandatum* offendat, ab univerſo Juriſconſultorum Collegio ſibi conceſsum. De regno Geometriae quod blaterat, non attendo. Injurius eſsem erga praeclariſſimos Italiae, nedum Europae Mathematicos, ſi illud affectarem. Unum hoc Adverſario reponere poſsum, aliquam in me Geometriae cognitionem utique *à multis doctis* agnoſci, & viciſſim Juriſprudentiae laudem aliquam me illi non negare: ſi ejus etiam ipſe *imperium* ambit, inveniat qui ſibi deferant, non invidebo. Denique cum Edmundo Merillio *ad L.* 13. *C. de contrahend. & committend. ſtipul.* concludere licebit.

Hoc ego, Tuque ſumus; ſed quod ſum non potes eſſe.
Tu quod es, è populo quilibet eſſe poteſt.

ADDENDA.

QUaedam post haec scripta animadverti, quae jam editis adjungi merentur, nimirum:

Ad pag. 3. post. lin. 5. Adde: Quin etiam ex Isidoro *lib. 5. cap. 26.* haec alia Calumniae acceptio habetur: *Calumnia est jurgium alienae litis.* Quomodo qui alicui quaestioni, ad se nullatenus spectanti, se immiscet, *Calumniari* non immeritò dici poterit. Sed & *Calumnia* pro quolibet gravamine indebitu aliquando accepta est; ut cum Nerva Imperator Didrachmi tributum Judaico populo remisit, ac nummum percuti jussit cum hac Epigraphe: *Fisci Judaici Calumnia sublata.*

Ad pag. 8. lin. 14. Adde. Ejusmodi sunt, si ritè expendantur Epistolae 37. 51. 54. 78. ac forte etiam Epistola 27.

Ad pag. 9. lin. 3. post verba: vigennis circiter, *Adde.* Nam idem Blesensis non post exactam adolescentiam vacare studiis coepit, sed *ab ineunte aetate* se in scholis versatum ipsemet perhibet *Epist. 139.*

Ad pag. 14. linea 27. post verbum: pertinentes, *Adde:* ut notavit Antonius Augustinus *de emend. Gratiani lib. 2. dial. 14.*

Ad pag. 17. lin. 16. Adde: nam, ut ait Antonius Augustinus *de emend. Gratiani lib. 1. dial. 19.* Correctoribus illis *Scopus fuit hoc opus corrigere, & supplere quae desiint Gratiano, non decurtare.*

Ad pag. 19. lin. ult. post verbum: disposita, *Adde:* Quod & subodoratus videtur idem Antonius Augustinus *loco cit.* animadvertens, quod *valde alienae sunt hae Leges à disputatione de Poenitentia.*

Ad pag. 31. lin. 26. Adde: Quid autem dici debe-

at de Concilio, quod Adversarius *pag.* 42. ab ipso Lothario Imperatore cum Innocentio Papa ante portam B. Petri Romae celebratum putat, atque indicatum asserit in Constitutionibus Feudalibus *lib.* 1. *tit.* 19. [apud Cujaccium *tit.* 17.] Eruditi judicent. Ego hac in re, nedum majorem historiae peritiam, sed, & fidem magis synceram in Censore nostro desideraverim : quippe in ipso Textu Feudalium Constitutionum, tam apud Contium, quam apud Gottifredum, imò & apud ipsum Cujaccium sic lego : *Si unus investitus &c. per constitutionem Domini Lotharii Imperatoris, quae est constituta tempore EUGENII PAPAE ante januam beatissimi Petri Apostoli in Civitate Romana per laudamentum Sapientum &c.* Ubi patet, de Lothario I. Ludovici Pii Imperatoris filio sermonem esse, qui post Eugenii II. electionem anno 824. Romam à Patre missus est, ut cum Pontifice conferret de Romanorum statu componendo; Sic enim habet Eginhardus, de Ludovico Pio agens: *Is Lotharium filium Imperii socium Romam mittere decrevit, ut vice sua functus, ea quae rerum necessitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice, atque Romano Populo statueret, atque firmaret. Lotharius, juxta Patris praeceptum, Romam profectus, ab Eugenio Pontifice honorificè suscipitur : Eugenio cum injuncta sibi patefaceret; Status Populi Romani, jamdudum quorundam Praesulum pervesitate depravatum, memorati Pontificis benevola assensione, ita correxit &c.* Inter caetera ergo tunc à Lothario statuta, nihil repugnat, illam quoque constitutionem, in Feudalibus Legibus memoratam, editum fuisse : repugnat verò, ut infra patebit, illam Romae factam fuisse à Lothario II. sub Innocentio Papa. Noster tamen egregius Doctor eandem Feudalem Le-

gem

gem referens, ita pro arbitrio verba illius immutat, ut omisso *Eugenii*, & subrogato *Innocentii* nomine, possit Lothario haec accommodari; ait enim: *Si unus inculpatus &c. per constitutionem Domini Lotharii Imperatoris, quam constituit tempore Innocentii Papae ante januam B. Petri Apostoli* (omissa etiam clausula: *in Civitate Romana*) *per laudamentum Sapientum &c.* ac mirum, non etiam mutasse vocabulum *Sapientum* in *Episcoporum*, ut aptiorem speciem ingereret illius *Romani Concilii*, quod hic se reperire arbitratur.

Quod si eximius J. C. Jacobus Cujacius Lotharium III. hoc modo interpretatur, atque *errorem videri* asserit in nomine *Eugenii*: non ideò tamen audet ipse Textum Constitutionis corrumpere, sed illum, prout jacet in omnibus editionibus, intactum exhibet, prout supra retulimus. Neque verò objectus ab eo scrupulus attendi mereretur; sed laudatissimo illi Jurisperito in re historica magis deferendum est, quam Baronio, & Pagio in mere juridicis. Et verò quanta illi habenda sit fides in historiarum discussione, vel ex hoc specimine patet, quod Lotharium III. appellet Gebehardi filium, qui erat illo nomine inter Imperatores secundus; nam quem ille Lotharium II. mallet, Hugonis Regis Italiae filium, ejusdemque Regni consortem, & successorem, nemo inter Imperatores numerandum censet. Sed quidquid sit de ejusmodi nomenclatura, certè Lotharius ille, qui Innocentium II. Romam deduxit, non poterat *ante januam B. Petri* constitutionem illam, de qua agitur, edere. Nam Basilicam Vaticanam occupaverat, & Romanorum copiis sibi faventibus munierat Petrus Leonis Antipapa dictus Anacletus; unde est, quod idem Lotharius imperialem

coronam ab Innocentio recipere coactus est in Lateranensi Basilica, non in Vaticana, ubi consuetudo fuerat, Imperatores aureo diademate redimiri, ut narrat Otho Frisingensis *lib. 7. cap. 18.* his verbis: *In Ecclesia S. Salvatoris, quae Constantiniana dicitur, a Summo Pontifice Innocentio coronatus* [Lotharius] *Imperatoris, & Augusti adeptus est nomen. Nempe Ecclesiam B. Petri, ubi mos coronari erat Imperatoribus, Petrus Leonis eo tempore occupaverat.* Locus ergo ex Feudalibus Constitutionibus citatus commentitio illi Romano Concilio Innocentii II. nullatenus favet, sed ad conventum habitum a Lothario I. filio Ludovici Pii, cum aliquot sapientibus Italicarum Civitatum, inter quos Sapientes Pisani Jurisconsulti locum fortiti sunt, ut ex Pagnio supra notavi *pag. 26.* referri debet, ac tempori Eugenii II. Papae, puta anno 824. vel 825. consignari. Verum quidem est, etiam Lotharium II. tempore Innocentii Papae nonnulla de Feudis statuisse, ut in ejus Constitutione, quae incipit *Imperialis Benevolentia* habetur: non tamen Romae sed *apud Roncallias* inter Cremonam, & Placentiam illa edita fuit, ut ipsemet Lotharius ibidem diserte fatetur; ex quo patet, quam facile fuerit imperitis utriusque Imperatoris Statuta, ob commune Lotharii nomen, & Constitutionum similitudinem, confundere.

Ad pag. 34. lin. 12. post verbum consueviſti: *Adde.* Certè non poterant historiolae illius Auctorem aliorum Pisanorum, *Civem* appellare, quum Pisani jam tunc sub Florentinorum Reipublicae potestate essent: monet siquidem Laurentius Valla *Elegantiar. lib. 4. cap. 83.* inter privatos non posse *Civis* vocabulum relativè usurpari, sed necessariò adhibendam

Concivis appellationem; ait enim: *Quidam librum suum sic inchoavit*: Favonius Civis meus, optime Princeps, & Consul tuus: *quum dicere debuisset*: Concivis meus. *Dominus enim civitatis Civem suum vocat, quia non potest appellare Concivem: quemadmodum miles socium in militia non militem suum vocare potest, sed Commilitonem: & discipulus eum, qui unà eidem Praeceptori dat operam, non discipulum suum, sed condiscipulum*; sed pudeat hisce tricis Grammaticalibus diutius inhaerere.

Ad pag. 39. *lin.* 24. *post verbum*: deseruit. *Adde* [id quod a me dictum accipi nolim, ut ex ejus patrio solo vituperationis ullam causam derivem; scimus enim, honestissimae ejus familiae, quae nostro quondam Ordini Abbatem Generalem Sylvanum contulit, nihil praejudicare loci natalis tenuitatem.]

Ad pag. 41. *lin.* 29, *post verbum*: dissentirent. *Adde*, aliamque vetustiorem traditionem foverent, illa multò verosimiliorem.

Ad pag. 43. *lin.* 15. *post verbum*: confirmat, *Prosequere*. Imò ipsemet Adversarius *pag.* 70. eandem vocem *haeresis* praefato comuni Catholicorum sensu paulò ante usurpaverat, illam communi Ecclesiae consensioni opponens, ibi: *Bononienses Jurisconsultos non fuisse in HAERESI Jurisconsultorum, aut si CUM ECCLESIA SENTIEBANT, perperam omissum esse a S. Petro, & ab Alexandro II. eorum testimonium, una fateamur necesse est.* Haec ille, contendens scilicet (est enim sensus paulò obscurior) aut nondum Scholam Bononiensem fuisse tempore B. Petri Damiani, sed solam Ravennatem, ideoque nullos fuisse Bononienses Jurisconsultos *in haeresi Jurisconsultorum*, quam Petrus impugnabat,

bat, & Alexander II. ab Ecclesia evellere satagebat, aut si aderant Jurisconsulti Bononienses, sed *cum Ecclesia sentirent*, debuisse eorum suffragio, ac testimonio Ecclesiae sententiam à S. Doctore, & a summo Pontifice confirmari: de qua consecutione erit aliás disserendum.

Ad pag. 58. *post lin.* 4. *Adde*. Omitto contradictiones aliás mihi affictas, ut cum obiicit quecunque de Garnerio Lanfranci comite in utramque partem disputavi, an idem cum Irnerio censendus esset, nec ne? Quasi verò qui dubitat, & rationes pro utravis assertionis parte expendit, sibimet eo ipso contradicere, ac pugnantia loqui dici debeat: quomodo ne ipse quidem Adversarius ab ejusmodi nota foret alienus: ut cum Tranum, quod Pisani expugnarunt post Amalphim, nunc Tramontium, nunc Atranum interpretatur: & cum Epistolam 140. Petri Blesensis, nunc post Lateranense Concilium scriptam esse contendit, nunc ante illud exaratam fatetur; multoque magis, cùm Epistolam meam de Pandectis, ejusque praecipuas sententias quondam laudavit, ac miris in coelum laudibus extulit, conquestus, nimis exiguum ejus exemplarium numerum à me primò impressum fuisse anno 1726. neque, ut oportuerat, ejus famam ubique diffusam; nunc autem, mutato consilio, eandem Epistolam ut ineptam, insulsam, meris somniis, & apertè falsis assertionibus scatentem, ubique traducit, despicit, deridet, exsibilat.

Ad pag. 62. *lin.* 31. *post verbum* possit. *Adde* (nisi fortè in illis verbis: *Graecus autem credidit, quod Trinitatem ostenderet*, de sacrosancto summae Trinitatis Mysterio, Graecis utique tunc temporis, scilicet anno ab V. C. 303. penitus incomperto, ser-

mo-

monem esse quis putet, ubi non alia Trinitas intelligenda est, quam quae ab Aristotele *lib. 1. de Coelo text. 2.* memoratur, quo ex loco quidam ex ejus sectatoribus ansam arripuerunt, Aristotelem fide Sanctissimae Trinitatis imbuendum comminiscendi; aut eadem illa Trinitate, à Graeco tunc aprehensa, celebre ternarium summorum apud Graecos Deorum, Jovis, Neptuni, & Plutonis, aut Dearum Palladis, Junonis, & Veneris trias, seu quid simile intelligi potuit.

Ad pag. 63. lin. ult. post verba visus est. *Adde*: cùm, ut innui, nihil absonum in ejus narratione sit, si rectè exponatur: aut siquidem fabulosa penitus illa traditio censeri debeat, non ideò exprobranda erat tanto Viro ejus credulitatis simplicitas, sed, ob ejus merita, & rudioris saeculi, quo vixit, barbariem, dissimulanda fuerat: ut prudenter admonet Janus Vincentius Gravina *Orig. Jur. Civil. lib. 1. num. 155.* ubi postquam Accursium laudavit, ac supra omnes alios Jurisconsultos extulit, *ut nisi temporum barbaries, antiquitatis ei lucem, & sermonis elegantiam ademisset, nullam fortasse laboris partem reliquisset Eruditis recentioribus*, haec subdit: *Quo magis mihi stomachum facessit eorum insolentiam dicam, an immanitas, qui cùm ejus lectione Legum sensus levi labore adipiscantur, ubi tamen aliquid nubeculae ab eo relinquitur, eorum eruditione dilnendum, feroces victoria statim perstrepunt, & cachinnos tollunt: nec verentur Viro de illis, ac de Posteritate optimè merito, temporum caliginem vitio vertere, sibi verò laudi ducere nascendi sortem.* Tum prosequitur: *Quae autem inhumanitas est, ei qui facem praetulit in tantis tenebris juris civilis, qua sine face vel eruditissimi novorum Jurisconsultorum aberrassent, vitia illa*

nolle condonare, in quae decidit; non propter juris civilis insciam, sed ob imperitiam historiarum, & latinae proprietatis sibi ab illa aetate denegatae: cùm tamen iis etiam praesidiis spoliatus, ingenii acie non rarò collineet: ut non tam ejus errores exagitare, quàm paucitatem illorum in tam crebris peccandi periculis, lubrisque locis, admirari debeamus?

Sed cur Glossatori parceret noster Doctor, qui Textum ipsum primarium Digestorum infamare audet, ac redarguere fallitatis? Nimirum ille *pag. 27.* ostendere nititur, auctoritatem praetendens Regii eloquentiae Professoris apud Neapolitanos Jo. Baptistae de Vico: *neque in Graeciam aditum patuisse Romanis, neque notam Graecorum linguam, neque Hermodorum illum Ephesium Romae esse potuisse; denique fictum esse quidquid de Legibus illis è Graecia petitis, missique ea a populo Romano Legatis, à Majoribus nostris traditum est.* Nimirum commenticia prorsus esse quaecunque Sextus Pomponius *in l. Necessarium ff. de orig. Jur.* narrat his verbis: *placuit publicè auctoritate decem constitui Viros, per quos perscriberentur Leges à Graecis Civitatibus, & Civitas fundaretur Legibus, quas in Tabulas eboreas perscriptas pro Rostris composuerunt, ut possint Leges apertius percipi: datumque est eis jus eo anno in Civitate summum, uti Leges & corrigerent, si opus esset, & interpretarentur, neque provocatio ab eis, sicut à reliquis Magistratibus fieret: qui ipsi animadverterunt, aliquid deesse istis primis Legibus, ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt, & ita ex accidenti appellatae sunt Leges XII. Tabularum: quarum ferendarum Auctorem fuisse Decemviris Hermodorii quemdam Ephesium exulantem in Italia quidam retulerunt.* Rasia [illegible] subjiciendum Dionysius Halicarnasseus,

us, Titus Livius, Florus, Plinius, Strabo, Cicero, & alii veteres probatissimae fidei Scriptores: ut nulla profana historia firmioribus innixa fundamentis videatur, nec magis idoneis testibus roborata, quam sit haec, à Censore nostro Gryphianae Fabulae Vindice, & Propugnatore, convulsa: Nam & *Statua fuit Hermodori Ephesii in Comitio* (verba sunt Plinii *lib.* 34. *cap.* 5.) *Legum quas Decemviri scribebant, Interpretis, publicè dicata*, velut indubium tantae rei monumentum; & exulasse Hermodorum illum in Italia, pulsum ab Ephesiis, quòd Vir probus, & honestus pravis eorum moribus non concordaret, Strabo *lib.* 14. memorat, referens ex Artemidoro: *dignos esse Ephesios omnes strangulari, qui Hermodorum Virum inter eos frugi ejecerunt, dicentes: nemo nostrum frugi esto, alioqui cum aliis ejiciatur... Hic Vir Leges quasdam videtur Romanis conscripsisse.* Et nomina Legatorum ex Decemviris in Graeciam missorum prodit Livius *lib.* 3. ad annum Urbis conditae 303. *Missi Legati Athenas Sp. Postbumius Albus, A. Manlius, Ser. Sulpitius Camerinus: jussique inclytas Leges Solonis describere, & aliarum Graeciae Civitatum instituta, mores, juraque noscere.* Et infra. *Jam redierant Legati cum Atticis Legibus.* Quis, nisi planè Scepticus in historia haec in dubium vertere audeat?

Neque verò Cl. Viri Jo. Baptistae a Vico auctoritatem jactet Adversarius; Is enim in libro *De nostri temp. Stud. ratione*, quem mihi dudum liberaliter Auctor ipse, cum altero libello metaphisico *de antiquiss. Italor. Sapientia*, donavit, non semel, sed bis saltem, accepisse Romanos à Graecis suas Leges fatetur; nimirum *pag.* 67. laudata Accursij, ejusque Sectatorum sollertia, Decemviris Romanis

ipsos

ipsos comparat, hoc uno discrimine, *quod illi Graecorum Leges ad Romanam Rempublicam praecipuè Accursiani Romanas ad nostras res privatas accomodarunt*; & infra *pag.* 116. De ipsis Romanis haec habet: *quamquam Leges bona ex parte à Gadeis accepissent; quia tamen ad suae Reipublicae formam sapientissimè accomodarunt, eo pacto propriae effecerunt.* Haec cum furrat sapientissimi Viri hac de re sententia, communi, ac vetustissimae traditioni, & Pandectarum Legibus, ac praecitatis Auctoribus planè conformis, Nostri verò Censoris conatus ad eam opinionem evertendam, non modò Legum ipsarum Majestati, ac tot Scriptorum Fidei est injurius, verùm ipsimet Civili Jurisprudentiae summum afferre praejudicium poterit, nisi opportunè refraenetur. Adolescentes enim, qui ab ipso intelligent, *Codicem Justinianeum* summa barbarie inquinatum esse, adeo ut ne duo quidem latina verba in eo comprehendi posse, ejus arbitratu, videantur: ac praeterea *Pandectas* ipsas, ejusdem judicio, conflictis narrationibus esse deturpatas: nec non *Glossam* vanis somniis, ac putidis mendaciis scatere, prorsus á legalibus studiis capescendis deterrebuntur, veriti, ne ex ipsis adeò infectis Jurisprudentiae fontibus, tum impuri sermonis labem contrahant, tum falsis opinionibus, ac commentitiarum traditionum fabulis sibi mentem infarciant, quam solidis dumtaxat veritatibus imbui, atque illustrari sperabant. Quales in me &c.

Ad pag. 69. *lin.* 25. *Adde*. Praeterea non eundem esse Auctorem Decreti, ac Panormitae, persuadere videtur aliqua verborum, ac sententiarum diversitas, in iisdem Decretis referendis in utroque opere observata. Conferantur Canones *ex Panormia* cum

simi-

similibus relatis *in Decreto*, nimirum

Ex Panormia	*Ex Decreto*
lib. 1. *tit.* 2. *cap.* 68.	*part.* 1. *cap.* 279.
lib. 1. *tit.* 4. *cap.* 39.	*part.* 2. *cap.* 134.
lib. 2. *tit.* 2. *cap.* 5.	*part.* 3. *cap.* 25.
lib. 2. *tit.* 10. *cap.* 2.	*part.* 3. *cap.* 231.
lib. 2. *tit.* 11. *cap.* 3.	*part.* 4. *cap.* 69.
lib. 2. *tit.* 11. *cap.* 29.	*part.* 4. *cap.* 134.
lib. 2. *tit.* 12. *cap.* 29.	*part.* 4. *cap.* 208.
lib. 2. *tit.* 12. *cap.* 30.	*part.* 4. *cap.* 213.
lib. 3. *tit.* 5. *cap.* 15.	*part.* 6. *cap.* 374.
lib. 6. *tit.* 3. *cap.* 6.	*part.* 8. *cap.* 64.

& alia ejusmodi loca, quae nunc melius citantur, & enunciantur in Panormia, quam in Decreto: nunc è contrario rectius in hoc, quàm in illa. Obiter autem hic moneo, ne quis ex toti Panormiae, ac Decreti Ivonis citationibus, me totum Ivonis opus *habuisse*, *ac tenuisse* inferat, cum ne exteriora quidem ejus integumenta hactenus viderim, fatente Adversario nostro *pag.* 21. quod ejus Opera *neque Pisis sint*, *neque Liburni*, *neque Lucae*, *in quibus urbibus Bibliothecas omnes excussit*; & tamen ipsamet laudatorum locorum verba adducere possum, quae in promptu habeo, licèt brevitati consulens praetermiserim. Unde & inferre potest Adversarius, ex locis Pandectarum à Gratiano, & ab Ivone citatis, licet horum Auctorum esse revera probarentur ejusmodi citationes, non legitimè concludi, ipsasmet *Pandectas totas* ab iisdem visas, ac versatas, nedum expressè commemoratas fuisse.

ER-

ERRATA CORRIGE.

Pag.	lin.		
8.	29.)	*De usu fructu legato*	*De usu, & usufructu legato.*
14.	25.)		
14.	4.)		
	6.)	Justinianaeus,	Justinianeus
15.	9)	Justinianaea	Justinianea &c.
16.	3.)	*& similia*	
23.	3.)		
9.	16.	postumus	possumus
20.	13.	Epitolae	Epistola
27.	12.]	*invotam*	*involutam*
	13.]		
29.	11.	diligentiae	diligentiae
31.	27.	exdeditionem	expeditionem
33.	44.	*Amaphitani*	*Amalphitani*
34.	22.	*l'atro di*	*l'altro di*
36.	3.	reprehensa, est	reprehensa est,
37.	5.	Tanuuccius	Tanuccius
40.	6.	àsseruerit	asseruerit
44.	17.	Maijo	Majo
45.	16.	Proffessore	Professore
47.	3.	emeudandis	emendandis
	13.	honoti	honori
56.	26.	An non	An fortè
57.	29.]	Juonis	Ivonis
	32.]		
63.	24.	*judictis*	*judiciis*
49.	2.	Open.	Open
73.	12.	Finij	Finci

Digitized by Google

C 36 51733

Digitized by Google

Digitized by Google